Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/devarroneetsueto00reeh

Pamph.
LL. H.
R.

Varro, M. Terentius
Suetonius Tranquillus, C

3 1761 07590779 0

DE VARRONE ET SUETONIO QUAESTIONES AUSONIANAE

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

RUDOLFUS REEH
SAXO-BORUSSUS

LIBRARY
SEP 13 1922
UNIVERSITY OF TORONTO

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCXVI

DE HAC DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
GEORGIUS WISSOWA

Examen rigorosum habitum est die 15. mens. Dec. a. 1914

GEORGIO WISSOWA
PIETATIS ERGO

Quarto post Christum natum saeculo omnes fere artes litterasque Romanorum iam defloruisse inter omnes viros doctos constat.[1]) in nullo fere campo litterarum Romanarum ingenium vere fecundum invenimus. scriptores huius aetatis, ut christianos omittamus, ex operibus priorum temporum feliciorum superstitibus hauriebant, cum in compilando imitando transferendo operam suam collocarent. praecipue ars poetica ingenii animique dotibus carebat et docta frigidaque erat facta. non iam erant ii poetae, qui in carminibus suis animi motus arcanaque pectoris recluderent et cum simplicitate quadam et impetu ingenii versus emitterent. immo qui hoc saeculo carmina composuerunt, verius versificatores quam poetae dicuntur: e poetis prioribus, quos studiosius legebant, verba sententiasque, quin etiam integras versuum partes ad nova poematia condenda mutuari non verebantur, cum inani spe adducerentur, quo artius se applicarent ad illa exempla virtutis poeticae, se eo certius ingenium illorum poetarum esse aequaturos. atque etiam plura sibi indulgebant versificatores huius saeculi: non solum poemata Graeca in versus Latinos convertebant, cum nova argumenta eos deficerent, sed etiam parum intellegentes, quid esset propositum arti poeticae, orationis prosae scriptores Romanos maxime ad usum scholarum in versus cogebant artis metricae exercitandae

[1]) cf. quae de hac litterarum strage scripserunt H. Speck, Quaestiones Ausonianae, Diss. Vratislaviae 1874 p. 21 sq. H. de la Ville de Mirmont, De Ausonii Mosella, Parisiis 1892 p. 11.

gratia. hoc illustrat optime Decimus Magnus Ausonius Burdigalensis, qui illo saeculo ingeniorum sterili poetarum princeps habitus est[1]). in opusculis eius non pauca carmina inveniuntur, quae doctrina bona vetereque sunt referta, dico imprimis illas eclogas[2]), quae sunt maximam partem de antiquitatibus Romanis, et cum opera illa, e quibus Ausonius doctrinam in his poematiis depositam hausit, invidia temporum nobis non sint servata, hae eclogae, quamquam, quantum ad virtutem poeticam attinet, parvi aestimandae sunt, non sunt neglegendae, et operae pretium videtur esse quaerere, quos fontes rhetor Burdigalensis in eis componendis adhibuerit, et si fieri possit illorum deperditorum operum imaginem recuperare.

---

[1]) quantopere aequales Ausonium sint admirati, facile intellegitur ex epistula Theodosii Augusti, qua ille vir summus Ausonium rogat, ut scripta sibi mittat (p. 3 ed. R. Peiper).

[2]) p. 94—105 ed. Peiper; p. 9—17. 152—156 ed. C. Schenkl.

Caput I.

Priusquam ad hanc quaestionem absolvendam accedamus, non inutile esse putamus examinare ea, quae alii de scriptoribus Romanis orationis prosae ab Ausonio continenter adhibitis disseruerunt. iam pridem viri docti [1]) sibi persuaserunt poetam Burdigalensem in Mosellae v. 298 sqq., ubi villas in ripis Mosellae fluminis exstructas dignas esse praedicat, quae cum operibus antiquorum architectorum clarissimorum comparentur, Varronis hebdomadum librum X, id quod ipse indicat, esse secutum [2]). illos versus, qui summi momenti sunt, cum ex eis unam hebdomadem e decimo libro Varronis imaginum sumptam noscamus, hic afferre placet:

quis potis innumeros cultusque habitusque retexens
pandere tectonicas per singula praedia formas?
non hoc spernat opus Gortynius aliger, aedis
conditor Euboicae, casus quem fingere in auro
conantem Icarios patrii pepulere dolores;
non Philo Cecropius, non qui laudatus ab hoste
clara Syracosii traxit certamina belli.
forsan et insignes hominumque operumque labores

---

[1]) cf. F. Ritschelii opusc. III p. 512.

[2]) hic quaerat quispiam, utrum Varronis hebdomades inter opera scriptorum orationis prosae an inter opera poetarum sint numerandae. utrumque enim iure dicas. nam cum primum librum disputationes isagogicas, quas pedestri sermone conscriptas fuisse certum est, esse complexum ex Gell. III 10 intellegatur, reliqui libri et orationem solutam et elogia metrica habuerunt. epigrammata imaginibus fuisse adiecta testis est Symmach. ep. I 2, 2. neque vero dubitari potest, quin oratio soluta in hoc opere, quod historiam vitarum et rerum gestarum hominum clarissimorum praebuisse videtur, praevaluerit.

hic habuit decimo celebrata volumine Marcei
hebdomas, hic clari viguere Menecratis artes
atque Ephesi spectata manus vel in arce Minervae
Ictinus, magico cui noctua perlita fuco
allicit omne genus volucres perimitque tuendo.
conditor hic forsan fuerit Ptolomaidos aulae
Dinochares, quadro cui in fastigia cono
surgit et ipsa suas consumit pyramis umbras.
iussus ob incesti qui quondam foedus amoris
Arsinoen Pharii suspendit in aere templi;
spirat enim tecti testudine corus achates
afflatamque trahit ferrato crine puellam.
hos ergo aut horum similes est credere dignum
Belgarum in terris scaenas posuisse domorum
molitos celsas fluvii decoramina villas.

postquam Pulmannus[1]), Reinesius[2]), alii perspexerunt nomine *Marcei* neminem alium esse intellegendum nisi M. Terentium Varronem, cum Josephus Scaliger[3]) parum feliciter *Margeum* architectum Graecum interpretaretur, Jacobus Bernays primus cognovit v. 305 sqq., in quibus Ausonius quattuor architectos Graecos ex una hebdomade Varroniana enumerat, non esse segregandos a versibus praeeuntibus et ita unam hebdomadem integram esse servatam[4]). dicuntur autem vel intelleguntur hi septem architecti Graeci: Daedalus, Philo, Archimedes, Menecrates, Chersiphro, Ictinus, Dinochares. sed recenseamus diligentius singulos et singula, cum virorum doctorum sententiae de nonuullis in diversum tendant. ex his septem architectis tres priores tam noti sunt, ut paene supervacaneum esse videatur explanare, qui fuerint et quibus rebus claruerint, praesertim cum Ausonius eorum

---

[1]) ed. Auson., Antverpiae 1568, p. 97 in nota iuxta contextum scripta.
[2]) Var. lect. II 1 extr.
[3]) Auson. lect. I 4.
[4]) Ritschelii opusc. III 512.

opera indicet. Daedalum Atheniensem et Icarum filium eius olim, cum alas sibi fecissent, Minoem regem Cretum volando fugisse ferunt[1]), sed Icarum, cum sol, ad quem propius advolaverat, ceram pennarum solvisset, in mare decidisse, quod ex eo tempore Icarium pelagus appellaretur, et Daedalum casum filii in aede Apollinis Cumana effingere esse conatum, de quo Vergilius (Aen. VI 32)

bis conatus erat casus effingere in auro
bis patriae cecidere manus.

quae verba Ausonio, cum scriberet

casus quem fingere in auro
conantem Icarios patrii pepulere dolores

ante oculos esse obversata certum est. etiam Valerii Flacci II 609 'patrii rediere dolores', quae verba C. Hosius[2]) affert, poeta hic memor fuerit, quamvis sit adnotandum adiectivum *patrii* apud Ausonium pro casu, quem grammatici genetivum subiectivum vocant, apud Valerium pro genetivo obiectivo esse positum. Philonem illud armamentarium, quod fuit in Piraei portu, Atheniensibus fecisse et alii[3]) et Plinius N. H. VII 125 referunt. atque cum Plinius hoc loco praeter Philonem etiam tres alios architectos commemoret, qui hic ab Ausonio afferuntur, ut dubium non esse videatur, quin uterque ex eodem Varronis hebdomadum libro scientiam suam hauserit, Plinii locum hic exscribimus: 'grande et

---

[1]) cf. Ovid. met. VIII 183 sqq. Hygin. fab. 40. Diodor. IV 77, qui illi vulgari Daedali fabulae aliam formam rationi consentaneam — totum locum enchiridio Timaei Tauromenitae doctrina referto debere videtur (cf. E. Schwartz apud Pauly-Wissowa V p. 667 sq.) — praemittit, qua Daedalum et Icarum non pennis, sed navigio fugisse et Icarum, cum in insulam, quae postea Icaria est appellata, egredi vellet, in mare delapsum interiisse dicebant.

[2]) Die Moselgedichte des D. M. A. und des Venantius Fortunatus[2]. Marburg, 1909 p. 63 ad v. 300 sqq.

[3]) Cic. de orat. I 14, 62. Vitruv. VII praef. 12. Val. Max. VIII 12 extr. 2. Strabo IX 1, 15 p. 395. Plut. Sull. 14, quos omnes attulerunt E. Fabricius, Hermes XVII 1882 p. 556 et C. Hosius l. c. p. 63 ad v. 303 sqq.

Archimedi geometriae ac machinalis scientiae testimonium M. Marcelli contigit interdicto, cum Syracusae caperentur, ne violaretur unus, nisi fefellisset imperium militaris imprudentia. Laudatus est et Chersiphron Gnosius aede Ephesi Dianae admirabili fabricata, Philon Athenis armamentario mille navium, Ctesibius pneumatica ratione et hydraulicis organis repertis, Dinochares metatus Alexandro condenti in Aegypto Alexandriam.' recenset igitur Plinius Archimedem, Chersiphronem, Philonem, Ctesibium, Dinocharem, qui omnes Ctesibio machinatore excepto apud Ausonium redeunt. sane quidem Archimedem obsidionem Syracusarum machinis suis traxisse et patria expugnata, cum in pulvere formas quasdam describeret[1]), contra imperium M. Marcelli victoris ab ignaro milite esse interfectum inter omnes constat. quis autem Menecrates, quem quartum affert Ausonius, fuisset, diu dubium fuit, cum neque Plinius neque alius scriptor nos certiores faciat de Menecrate architecto. quamquam iam E. Böckingius suo iure est opinatus hunc Menecratem fuisse patrem adoptivum Apollonii et Taurisci sculptorum, qui 'Zethum et Amphionem ac Dircen et taurum vinculumque ex eodem lapide' finxerunt[2]), cuius operis effigiem[3]) (sc. simulacrum superstes quod taurum Farnesianum vocare consuevimus) esse servatam notum est. sed L. Urlichs[4]) hanc sententiam reiecit, cum non sit traditum Menecratem a Plinio commemoratum magistrum illorum sculptorum nedum architectum clarissimum fuisse, et commendavit coniecturam Henrici Brunn[5]), qui iuxta Chersiphronem et Ictinum Ausonio Mnesiclem, qui propylaea condidit, dicendum fuisse et dictum fuisse suspicabatur; sane Urlichs ipse

---

1) cf. Liv. XXV 31, 9.

2) cf. Plin. N. H. XXXVI 34.

3) cf. Fr. Studniczka, Der Farnesiche Stier, Zeitschrift für bildende Kunst N. F. XIV (1903) p. 171 sqq.

4) Rhein. Mus. XVII 1862 p. 471 sq.

5) Gesch. der griech. Künstler II p. 369.

nomen Mnesiclis non pro *Menecratis* restituendum, sed nominum permutationem Ausonii ipsius errori tribuendam esse putavit, cum Varro, Ausonii auctor, Mnesiclem dixisset. ut haec coniectura Henrici Brunn nimis audax violentaque abicienda esse mihi videtur, ita improbo sententiam Henrici de la Ville de Mirmont[1]), qui pro *Menecratis* censet *Metagenis*, quem cum patre Chersiphrone Ephesi Dianae templum aedificasse Vitruv. VII praef. 16 docet, legendum esse, cum in versu sequenti Chersiphron dicatur. si res ita sese haberet, mirum in modum Ausonius nomen filii (sc. Metagenis) aperte diceret et nomen patris (sc. Chersiphronis) pluribus verbis circumscriberet *(Ephesi spectata manus)*; et quod gravius est, Ausonius duos artifices importune distingueret. nam filium aeque atque patrem Ephesi esse operatum concedendum est. huc accedit, quod Plinius, quem eundem Varronis locum esse secutum satis confidimus, Chersiphronem unum architectum aedis Dianae Ephesiae dicit. denique Ausonius vocali brevi *a* in nomine Metagenis nimia cum licentia poetica pro longa esse usus nobis esset putandus. C. Hosius[2]) Scaligerum secutus[3]) attulit inter complures primum Menecratem Ephesium, quem de agricultura scripsisse Varro de r. r. I 1, 9. III 16, 18 refert. hanc quoque sententiam nullam veritatis speciem habere nemo negabit. Arnoldus de Salis[4]) demum probabiliter exposuit hunc Menecratem eundem esse, qui in crepidine zophori illius arae Pergamenae auctor gigantomachiae vel potius verus atque proprius conditor arae ipsius dicatur vel litteris servatis indicetur[5]), eundemque artificem esse, quem Apollonium et Tauriscum adoptasse Plinius l. c. refert[6]). *Ephesi spectatam ma-*

---

[1]) La Moselle d'Ausone, Paris 1889 p. 91 sq.

[2]) l. c. ad v. 307.

[3]) Auson. lect. I 4.

[4]) Der Altar von Pergamon, Berlin 1912 p. 12 sqq.

[5]) cf. Inschriften von Pergamon 70 (p. 56 A—C).

[6]) cf. Hiller de Gaertringen, Athen. Mitteil. XIX 1894 p. 37 sqq.

num Chersiphronem Gnosium, quem illam aedem Dianae Ephesi aedificasse Plinius loco exscripto docet[1]), fuisse veri est simillimum vel potius certum. deinde Ictinus, Phidiae aequalis, quem cum Callicrate illud templum clarissimum Minervae in arce Athenarum condidisse notum est, affertur. illam de noctua fabulam poetam non ex Varrone, sed aliunde hausisse, cum *cui* non ad *Ictinus,* sed ad *Minervae* sit referendum, vidit L. Urlichs[2]). idem vir doctissimus monuit, qua in re ei reliqui omnes Ausonii interpretes, in iis C. Hosius[3]), sunt assensi, noctuam esse intellegendam illam, quae a Phidia iuxta statuam Minervae est posita[4]) et ab Ausonio sive eius auctore eadem vi instructa esse videtur, quae vulgo rupis hiatui tribuitur, quem cum cornices vitarent[5]), alias aves ad perniciem attraxisse ferunt[6]). denique septimum locum obtinet Dinochares. hic Ausonium Dinocharem, quo architecto Alexandrum Magnum anno a. Chr. n. 332 ad Alexandriam metandam esse usum Plinius loco exscripto refert, cum Timochare confudisse, cum, quae nobis de Timochare a Plinio N. H. XXXIV 148 tradita sunt, in Dinocharem, conditorem Ptolomaidos aulae, transferret, omnes viri docti, qui hanc rem attigerunt, consentiunt. haec enim Plinius hoc loco de Timochare docet: 'magnete lapide architectus Timochares Alexandriae Arsinoes templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulacrum e ferro pendere aere videretur. intercessit ipsius mors et Ptolomaei regis, qui id sorori suae iusserat fieri'. apparet Plinium et Auso-

[1]) cf. XXXVI 95. Strabo XIV 1, 22 p. 640. Vitruv. VII praef. 16.

[2]) l. c. p. 472.

[3]) l. c. p. 64 ad v. 309

[4]) cf. Dio Chrysost. or. 11, 6 (I p. 156 Arn.): *τῆς γε Φειδίου τέχνης παρ' Ἀθηναίοις ἔτυχεν* (sc. *ἡ γλαῦξ*) *οὐκ ἀπαξιώσαντος αὐτὴν συγκαθιδρῦσαι τῇ θεῷ* et Hesych. s. v. *Γλαῦξ ἐν πόλει· παροιμία· ἀνέκειτο γὰρ ὑπὸ Φειδίου ἐν τῇ ἀκροπόλει.*

[5]) cf. Lucret. VI 749 sqq.

[6]) Philostr. v. Apoll. Tyan. II 10.

nium unam eandemque fabulam dicere ea quidem differentia, ut, praeterquam quod Plinius magnetem, Ausonius achatem, qui tamquam corus spiraret, simulacrum Arsinoes attraxisse dicit, alter fabulam Dinochari, alter Timochari vindicet. facile dixerit quispiam Dinocharem et Timocharem unum eundemque architectum fuisse. nam mirum est in utriusque artificis nomine eandem varietatem occurrere Dinocharem enim, qui Alexandriam est metatus, Vitruvius II 1—4, Solinus 32, 41, Val. Max. I 4 ext. 1, Ammian. Marcell. XXII 16, 7 Dinocratem appellant. nec aliter inter se discrepant codices Pliniani XXXIV 148 in nomine Timocharis adferendo, cum partim eum Timocharem partim Timocratem dicant. huc accedit, quod utrumque artificem Alexandriae esse operatum constat. neque tamen fieri potest, ut sumamus Dinocharem et Timocharem unum eundemque architectum fuisse, cum Timocharem eodem anno quo Ptolemaeum Philadelphum (anno a. Chr. n. 247)[1] esse mortuum Plinius N. H. XXXIV 148 memoriae prodat, nisi forte putas Dinocharem, quem corpore egregio praeditum fuisse Vitruv. II 1, 1 narrat, non minus centum et decem fere annos vixisse. quae cum ita sint, quaestio oritur, quo modo factum sit, ut Ausonius duos artifices pro una persona haberet; et cum hac quaestione est coniuncta altera, uter artificum in hebdomade Varroniana, quam est secutus Ausonius, fuerit dictus atque mihi quidem veri simillimum videtur esse Varronem in illa hebdomade Dinocharem vel potius Dinocratem, qui Alexandriam urbem est metatus, posuisse, cum hic a Plinio N. H. VII 125, quo loco etiam tres alios architectos eiusdem hebdomadis Varronianae recenseri supra vidimus, afferatur; neque nullius momenti videtur esse, quod Ausonius quoque primo versu, qui est de Dinochare (311), hunc conditorem Ptolomaidos aulae (i. e. Alexandriae) dicit. et optime comprobatur haec sententia uno de Laterculis

---

[1]) cf. J. Beloch, Griech. Gesch. III 2 p. 122.

Alexandrinis ab H. Dielesio[1]) editis, in quo architecti clarissimi enumerantur. in hoc catalogo (p. 7, 13) post *Χειρίσοφος*, quod nomen librarius insipidus pro *Χερσίφρων* scripsit, etiam *Δεινοκράτης* legitur, ad quod ex litteris versus sequentis servatis cognomen *ὁ μετὰ Ἀλεξάνδρου* supplendum videtur esse. atque cum in versu 17 catalogi etiam Philon commemoretur, dubitari non potest, quin hic Dinocrates idem sit, quem Ausonius dicit. sed fabulam de simulacro Arsinoes, quam exhibent versus sequentes Ausonii, aut iam Varro in Dinocratem transtulit aut Ausonius aliunde addidit. quorum alterum coniecit C. Hosius, cum haec scriberet[2]): 'Plin. berichtet an anderer Stelle XXXIV 148, daß magnete lapide architectus Timochares (Timocrates ein Teil der Hdschr.) Alexandriae Arsinoes templum concamarare inchoaverat, ut in eo simulacrum e ferro pendere aere videretur. Intercessit ipsius mors et Ptolemaei regis, qui id sorori suae iusserat fieri, derselbe XXXVI 68 hic (obeliscus) fuit in Arsinoeo positus a rege, munus amoris in coniuge eademque sorore Arsinoe. Diese beiden Stellen gibt Auson wieder, nur daß er jenen Bau ausgeführt sein läßt und statt des Obelisken das andere Wahrzeichen Aegyptens, die Pyramide, setzt. Freilich hat er Dinochares und Timochares verwechselt.' qua in re vir doctissimus, qui ceteroquin de Ausonii Mosellae interpretatione optime est meritus, errore captus fuisse mihi videtur[3]). nam quo modo vel quo iure Ausonium ea, quae eum apud Plinium N. H. XXXIV 148 de Timochare legisse opinaris, in Dinocratem transferre potuisse putas? an censes in Ausonii codice Pliniano, quem a librario satis neglegente exaratum fuisse ex Symmachi epistula I 24 (p. 14 ed. Seeck) scimus, *Dinocharem* pro *Timochare* scriptum fuisse et Ausonium hunc cum Dinocrate, quem apud

---

[1]) Abhdl. d. Berl. Akademie 1904.

[2]) l. c. p. 65 ad v. 311 sqq.

[3]) vereor ne vir doctissimus hic nimio studio sit ductus ostendendi Ausonium Plinii Naturalem Historiam in Mosella componenda respexisse.

Varronem legerat, confudisse? at singularem illam de achate, qui tamquam corus spiraret, sententiam non poterat Ausonius e Plinio depromere. quae cum ita sint, veri similius mihi videtur esse iam Varronem in hebdomadibus falso illam fabulam in Dinocratem transtulisse indeque Ausonium pendere. et H. Brunn[1]) rectissime iudicavisse mihi videtur: 'der Erbauer dieser Stadt und der Architekt des Tempels der Arsinoe können daher unmöglich eine Person sein. Doch wäre es wiederum auffällig, bei Ausonius unter den bedeutendsten Architekten nicht den berühmten Deinokrates, sondern einen wenig bekannten Dinochares oder nach Plinius Timochares angeführt zu finden. Unter diesen Umständen wird eine Entscheidung schwer, und wir werden zu dem Verdacht gedrängt, daß schon im Altertume eine Verwirrung in der Ueberlieferung entstanden sei, indem man Nachrichten über Bauten des zweiten Ptolemäers fälschlich auf den bekannten Deinokrates übertragen haben mochte.' sed si putas hunc errorem, quo Dinocrati opus est adscriptum, quod ei non erat adscribendum, abhorrere a Varronis sollertia, necesse est sumas Ausonium hanc fabulam ex alio fonte addidisse, non ex Plinio. quod vero C. Hosius praeterea Plin. N. H. XXXVI 68 affert, cum dicat etiam hunc locum ab Ausonio esse expressum, iterum errare mihi videtur. vereor, ne vir doctissimus Ausonii verba

quadro cui in fastigia cono
surgit et ipsa suas consumit pyramis umbras

non recte interpretatus sit. nam *cui* non ad *Dinochares*, sed ad *Ptolomaidos aulae* similiter atque in v. 309 *cui* ad *Minervae* esse referendum monuit iam L. Urlichs[2]), ut his versibus nondum habeatur Dinocharis ratio, sed res Aegypti propria dicatur. et Ptolomais aula i. e. aula regia Ptolomaeorum non Arsinoeum ut vult Hosius, sed Alexandria urbs intellegenda videtur esse[3]). itaque Dino-

[1]) l. c. II p. 354.
[2]) l. c. p. 472 extr.
[3]) cf. L. Ulrichs l. c. p. 473.

chari nihil esse cum obelisco a Plin. N. H. XXXVI 68 commemorato persuasum habeo, sicut etiam Henrico Brunn[1]) est visum. sed veri est simile poetam hanc sententiam aliunde hausisse. nam Ausonium in his duobus versibus omnino ad auctorem quendam doctum se applicavisse satis indicare mihi videntur verba rei commodissima remque optime illustrantia, quae Ausonium ipsum elegisse vix tibi persuadeas. haec verba non invenit apud Plinium, qui obeliscum, non pyramidem memorat. neque etiam veri est simile Ausonium hoc loco ex Varronis hebdomadibus pendere, quas in versibus praeeuntibus adhibuit, cum Varroni certe in commemoratione Dinocratis causa non esset, cur pyramides attingeret. quae cum ita sint, suspicio est poetam etiam alium fontem in his duobus versibus respexisse, sed difficile est hunc fontem indagare. nam quamquam complures scriptores posteriorum temporum de pyramide eadem vel simillima verba faciunt[2]) atque Ausonius, cum simul alter ab altero pendeat, tamen ad fontem communem vix penetrari potest. sed ut ipse iudices, videas hos locos inter se cognatos:

Solin. 32, 44: *pyramides turres sunt fastigatae ultra excelsitatem omnem quae fieri manu possit:* itaque *mensuram umbrarum egressae nullas habent umbras.*

Isidor. orig. XV 11, 4: *pyramides* genus sepulchrorum quadratum et *fastigiatum ultra omnem excelsitatem quae fieri manu possit,* unde et *mensuram umbrarum egressae nullam habere umbram* dicuntur. tali autem aedificio surgunt, ut a lato incipiant et in angusto finiantur sicut ignis; πῦρ enim dicitur ignis. hos Aegyptus habet.

Ammian. XXII 15, 28: multa in illis tractibus pretium est operae ac maxima cernere; e quibus pauca conveniet explicari. templa ubique molibus magnis exstructa . . . *pyramides* ad miracula septem provectae, quarum

[1]) l. c. II p. 353.

[2]) cf. C. Hosius l. c. p. 66 ad v. 312 sq.

diuturnas surgendi difficultates . . . scriptor Herodotus docet, *ultra omnem altitudinem, quae hominum manu confici potest,* erectae *sunt turres*, ab imo latissimae, in summitates acutissimas desinentes. 29. quae figura apud geometras ideo sic appellatur, quod ad ignis speciem (*τοῦ πυρὸς*, ut nos dicimus) extenuatur in **conum.** quarum magnitudo quoniam in celsitudinem nimiam scandens graciliscit paulatim, **umbras** quoque mechanica ratione **consumit.**

Auson. quadro (cui) in fastigia **cono** surgit et ipsa **suas consumit pyramis umbras.**

Hygin. fab. 223 septem opera mirabilia. Ephesi Dianae templum, quod fecit Amazon Otrera Martis coniunx. Monimentum regis Mausoli lapidibus lichniticis altum LXXX circuitus pedes CIↃCCCXL. Rhodi signum Solis aeneum id est Colossus altus pedibus XC. Signum Iovis Olympii, quod fecit Phidias ex ebore et auro sedens pedes LX. Domus Cyri regis in Ecbatanis, quam fecit Memnon lapidibus variis et candidis vinctis auro. Murus in Babylonia, quem fecit Semiramis Dercetis filia latere cocto et sulphure ferro vinctum, latum pedes XXV altum pedes LX in circuitu stadiorum CCC. Pyramides in Aegypto quarum umbra non videtur altae pedes LX.

Cassiodor. Var. VII 15,4 ferunt prisci saeculi narratores fabricarum septem tantum terris adtributa miracula: Ephesi Dianae templum; regis Mausoli pulcherrimum monumentum, a quo et Mausolea dicta sunt; Rhodi solis aeneum signum, quod colossus vocatur; Iovis Olympici simulacrum, quod Phidias primus artificum summa elegantia ebore auroque formavit; Cyri Medorum regis domus, quam Memnon arte prodiga illigatis auro lapidibus fabricavit; Babyloniae muri, quos Semiramis regina latere cocto sulpure ferroque construxit; pyramides in Aegypto, quarum in suo statu **se umbra consumens** *ultra constructionis spatia* nulla parte respicitur.

atque hoc primum apparet Cassiodorium Senatorem Var. VII 15, 4 Hygini fabula 223 esse usum. hic H. Schott[1]) magno errore teneri mihi videtur, qui dixit Cassiodorium septem miraculorum enumerationem e Varronis hebdomadibus deprompsisse sicut Hyginum. quamvis ex Gellio III 10, 16 constet Varronem in primo Imaginum libro septem miracula enumeravisse, tamen Cassiodorium ex Varrone ipso hanc scientiam hausisse negaverim. nam cum in medio relinquamus, num Hyginus hic e Varrone pendeat, quo modo fieri potuisse putas, ut uterque scriptor (sc. Hyginus et Cassiodorius) adeo ad verba Varronem exscriberet? neque enim solum iisdem sententiis et verbis utrumque uti videmus, sed etiam eundem verborum ordinem apud utrumque invenimus. quid? quod scimus[2]) Cassiodorium multis aliis quoque Variarum locis Hyginum adhibuisse? ad hoc equidem persuasum habeo Cassiodorium verbis incertis *prisci saeculi narratores* non Varronem, quem alio loco[3]) *peritissimum Latinorum* nominat, intellexisse, ut vult Schott, sed Hyginum, fabularum narratorem, et alios, ut Lucium Ampelium (lib. mem. VIII 18—23) et auctorem Vibianae appendicis, qui eundem septem miraculorum catalogum praebent et ad eundem fontem recedunt atque Hyginus.[4]) sed ut non omnia, quae in Hygini capite scripta videmus, exscripsit, ita nonnulla de suo vel de alio scriptore hausit. ut in Mausoli regis monumento commemorando adnotat mausolea ab hoc generaliter nomen cepisse. atque in pyramidibus ipsis explicandis addidit verba: '(umbra) se consumens ultra constructionis spatia'. sed iam dixerit quispiam Cassiodorium, quem Hygini fabulas aut certe caput de inventoribus ampliore habitu, quam quo nobis est traditum, aliis Vari-

[1]) De septem orbis spectaculis quaestiones, Progr. Ansbach 1891, p. 19 sqq.

[2]) cf. G. Knaack in Hermae vol. XVI 1881 p. 585 sqq.

[3]) de artibus ac disciplinis liberalium litterarum c. 6 (Migne, Patrol. lat. LXX 2 p. 1213).

[4]) cf. H. Schott l. c. p. 19.

arum locis usurpavisse G. Knaack[1]) demonstravit, haec verba quondam in Hygino pleniore invenisse. sed hoc fieri potuisse praefracte nego, cum verba *ultra constructionis spatia* in sententia *quarum — respicitur* ad nullum vocabulum recte applicare possimus. qua de causa non dubito, quin Cassiodorius ab alio quodam scriptore, qui de pyramidibus disseruit, sit commotus, ut et haec et verba *se consumens* interponeret. hunc autem scriptorem Ammianum Marcellinum, quem Cassiodorio cognitum saepiusque lectum fuisse certum est[2]), fuisse veri non dissimile est. Ammianum XXII 15, 28 autem iterum a Solino pendere iam F. Rabenald[3]) ostendit. sed Ammianum non omnia, quae exhibet, Solino debere manifestum est. eam tantummodo sententiam Solini, qua dicit pyramides ultra excelsitatem omnem, quae fieri manu possit, surgere, recepit. reliqua omnia, ut pyramidis etymologiam et verba *umbras consumit* non invenit apud Solinum. haec autem eum non de suo, sed de altero fonte hausisse iam ideo pro certo habeo, quod in hac doctrina proferenda iterum dicit magnitudinem pyramidum in celsitudinem nimiam scandere. hunc vero fontem etiam Ausonii fontem fuisse propterea veri est simile, quod utrumque scriptorem iisdem verbis (*conus, umbras consumere*) uti videmus. ad hunc autem fontem ultimum etiam Isidorus recedere videtur, qui, sicut Ammianus, et Solinum[4]) adhibet et plura exhibet, cum easdem

---

[1]) l. c. p. 585 sqq.

[2]) cf. K. Schirren, de ratione, quae inter Jordanem et Cassiodorium intercedat, comment. Dorpat 1858 p. 36.

[3]) Quaestionum Solinianarum capita tria, diss. Hal. 1909 p. 25.

[4]) hunc scriptorem ab Isidoro persaepe esse excerptum inter omnes viros doctos constat; cf. Th. Mommsen in edit. Solini altera (Berol. 1895), ubi vir doctissimus in margine ea indicavit, quae Isidorus compilavit aut exscripsit. H. Dressel, de Isidori originum fontibus diss. Gotting. 1874 p. 45. 46. A. Schenk, de Isidori de natura rerum libelli fontibus, Jenae 1909 p. 60 sq. H. Philipp, die historisch-geographischen Quellen in den etymologiae des Isidorus von Sevilla. Teil I Quellenuntersuchung (Berl. 1912) p. 74 sqq.

sententias atque Ammianus (pyramidis etymologiam) proferat iisdemque vel simillimis verbis atque Ausonius (*quadratum*, *fastigiatum*) utatur. sane quis hic fons communis fuerit, difficile dictu est.

sed quisquis hic auctor ignotus fuit, satis constat Ausonium etiam Varronis hebdomadas habuisse.[1]) neque est, cur hoc miremur. nam Varronis imagines etiam in aliorum manibus tum fuisse testes sunt Symmachorum epistulae I 2, 2 et I 4, 1[2]). a vero non aberrabimus, si sumemus illud opus Varronis praecipue propter imagines et elogia, quae omnes litterarum studiosos capiebant, tam diu esse servatum. sed quanti momenti sint Ausonii versus quaestionem de compositione Varronis hebdomadum instituenti, demonstrent haec verba Friderici Ritschelii,[3]) quo nemo melius est meritus de Varronis hebdomadibus restituendis, cum virum doctissimum secuti pro certo habeamus primum ex quindecim[4]) libris Imaginum cum disputationibus isagogicis[5]) duas hebdomadas alteram Graecis alteram Romanis destinatam habuisse: 'itaque cum facile quispiam coniciat ex Imaginum libris quattuordecim septem priores Graecis hominibus destinatos fuisse, Romanis totidem posteriores, hunc tamen ordinem continuo excludit Ausonii testimonium, qui e decimo libro Graecorum nomina architectorum petebat, et tamen ut par fuisse numerus Romanarum hebdomadum atque Graecarum credatur, ipsa aemulatio monet qua semet aequiperare Graecis Romani contenderunt, deditissimumque patriae studium Varronis tot aliis documentis elucens, suadet in-

[1]) probatur mihi sententia Henrici de la Ville de Mirmont (La Moselle d' Ausone p. 89), qui dicit professorem Burdigalensem Varronis hebdomadas in scholis suis adhibuisse.

[2]) p. 3 et 5 ed. Seeck.

[3]) opusc. III p. 514.

[4]) opus ex quindecim libris constitisse ex Hieronymi catalogo scimus (cf. Ritschelius l. c. p. 509), et in summa septingentas imagines i. e. centum hebdomadas libris fuisse insertas Plinius N. H. XXXV 11 refert.

[5]) cf. Gellius III 10.

primis. qui si, ut exemplo utamur, in eo libro, quo honoris poetici exempla inlustrabat, quattuor pleiadas e Graecis poetis composuisset, tres e Romanis, parum profecto vel popularium suorum ambitioni vel suo sensui satisfecisset. quae cum ita sint, vix aliam viam relictam videmus, nisi ut quattuordecim imaginum libros animo nostro informemus septem dyadibus divisos, quarum unaquaeque uno libro totas Graecas hebdomadas praemitteret, altero his totas Romanas subiungeret ex eisdem vel maxime finitimis generibus petitas: eam quidem in speciem ut ad Graecos homines integri libri II. IV. VI. VIII. X. XII. XIV spectarent, ad Romanos integri III. V. VII. IX. XI. XIII. XV.'

Atque ut exploratum est Ausonium in illis versibus Mosellae Varronis hebdomadas esse secutum, ita iam constat Ausonium in epigrammatis de duodecim Caesaribus prioribus (p. 183—190 Peip.) ad Suetonii Tranquilli Caesarum libros, quos etiam nunc habemus, se applicavisse. quamvis haec epigrammata ad Caesares pertinentia ab eclogis differant, cum poeta Burdigalensis epigrammata maxime ad artem metricam exercitandam, eclogas autem ad res ipsas exponendas scripserit, tamen e re erit haec quoque epigrammata accuratius respicere, ut lectionem et studia poetae clarius perspiciamus. atque hoc maxime statim apparet, cum Ausonii versus de XII Caesaribus scriptos accuratius examinamus, grammaticum Burdigalensem in his versibus, in quibus componendis se Suetonium Tranquillum esse secutum ipse in prooemio (v. 4 p. 183 Peip.) indicat,[1]) doctrinam Suetonianam nimis in artum con-

---

[1]) cave credas titulum, quem versus hac aetate ferunt: 'Ausonii de XII Caesaribus per Suetonium Tranquillum scriptis', auctoritatem ullam habere; neque enim hunc esse genuinum, cum a nullo codice praebeatur, suo iure monet W. Brandes, Beitr. zu Auson. IV, die Ephemeris — ein Mimus, Wiss. Beil. z. Jahresber. des Herzogl. Gymn. z. Wolfenbüttel, 1909 p. 7 adn. 3.

traxisse. in monostichis de ordine imperatorum, deinde de aetate imperii eorum, denique de obitu singulorum brevissime agit, in tetrastichis easdem res non multo pluribus verbis percurrit, cum non pauca, quae iam ibi docuerat, aliis verbis iteret. rhetorem, ut erat vir disertissimus, non tam verba quam scientiam rerum e Suetonio deprompsisse videmus[1]). tribus tantum vel quattuor locis ei simul verba ipsa Suetoni ante oculos esse obversata videntur. locos inter se congruentes hic componere placet:

Auson. tetrast v. 17 sq. (p. 188 P.)	Sueton. Calig. 9
Post hunc castrensi Caligae cognomine Caesar successit saevo saevior ingenio.	Caligulae cognomen castrensi ioco traxit.
monost. v. 40 (p. 186 P.)	Tit. 1
At Titus, orbis amor, rapitur florentibus annis.	Titus . . . amor ac deliciae generis humani.
tetrast v. 45 sqq. (p. 190 P.)	Tit. 10
Felix imperio, felix brevitate regendi, expers civilis sanguinis, orbis amor. unum dixisti moriens te crimen habere; sed nulli de te nec tibi credidimus.	neque enim extare ullum suum factum paenitendum.

quarto loco Ausonius simul Iuvenalis memor fuit:

[1]) C. Schenkl et R. Peiper plurimos auctores et imitatores Ausonii in editionibus ille in margine inferiore, hic maxime in appendice editioni adiuncta composuerunt.

Auson. monost. v. 17 (p. 184 P.)	Sueton. Dom. 18
secutus frater quem Calvum dixit sua Roma Neronem.	postea calvitio quoque deformis (sc. fuit Domitianus) . . . calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii ioco vel iurgio obiectaretur.
	Iuvenal. IV 38
	cum . . . calvo serviret Roma Neroni.

neque vero solum Suetonii Caesarum libros Ausonius ad hos versus componendos inspexit, sed etiam Cornelii Taciti historias legit, id quod ex his locis cognoscitur:

Auson. tetrast. 29 sq. (p. 189 P.)	Tacit. hist. I 49
Spe frustrate senex, privatus sceptra mereri visus es, imperio proditus inferior.	(sc. Galba) maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii nisi imperasset.
tetrast. v. 43 sq. (p. 190 P.)	hist. I 50
Olim qui dubiam privato in tempore famam, rarum aliis, princeps transtulit in melius.	et ambigua de Vespasiano fama solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.

apparet Ausonium praecipue ad Suetonium se applicavisse, cum simul Tacitum respiceret. poeta ipse quoque in monost. v. 4 et in tetrast. v. 28 indicat se Suetonium sequi, cum nos, si plura scire cupiamus, ad Tranquillum revocet. sane grammatico, quem multa lectitavisse et memoria permultum valuisse[1]) constat, etiam aliorum scriptorum in mentem venit, ut Martialis, cuius verba (ep. 33):

[1]) satis habeo de isto centone nuptiali admonuisse, quem Ausonius in itinere cum Valentiniano concertans e versibus Vergilianis, quos memoria tenebat, concinnavit, unde patet Ausonium totum fere Vergilium memoria esse complexum.

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres!
paene fuit tanti non habuisse duos

Ausonium tetrast. 49 sqq. (p. 190 P.) esse imitatum manifestum est. denique monost. v. 11 (p. 184 P.), ubi Nero *ultimus Aeneadum* nominatur, grammaticus Burdigalensis de oraculo Sibyllino, quod cum urbem Romam illud magnum incendium Neronianum vexaret, in ore vulgi fuisse fertur et nobis a Cassio Dione LXII 18 est traditum *(ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει)*, cogitaverit.[1]) sed concedendum est tales locos quasi sua sponte in poetae animum influere potuisse. neque vero pluribus locis nos demonstrare posse Ausonium a Suetonio pendere ea re intellegitur, quod poeta in universum nonnisi vulgarem doctrinam praebet, cum multis praetermissis summam tantum rerum respexerit. sed haec conspicua brevitas ipsa propria esse videtur Ausonii. nam apertum est eum in his versibus brevitati maxime operam dedisse, sicut etiam Paulinus discipulus eius in illis versibus, in quos Suetonii libros, qui fuerunt de regibus, Ausonium aemulatus coegit, in brevitate dicendi curam et diligentiam adhibuit, id quod Ausonius ipse praedicavit[2]). ingenio autem huius senescentis saeculi congruit, quod tam exiles epitomae lectoribus et poetis ipsis satis faciebant. ceterum consentaneum est Ausonium nonnulla, quae omnes homines litterati sciebant, de suo addere potuisse. itaque, quamvis haec epigrammata ipsa nihil fere aliud nos doceant nisi Ausonium brevitati vel tenuitati serviisse, tamen ex eisdem et ex versibus Paulini apparet Suetonium poetae ad manum fuisse.

[1]) consentaneum est Ausonium cognitionem illius oraculi non ex Cassio Dione, sed aliunde habuisse.

[2]) ep. XXIII (p. 267 P.) ad Paulinum: 'his longe iucundissimum poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coegisti tanta elegantia, solus ut mihi videare adsecutus, quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset.' ceterum cf. quae de Paulini versibus Fr. Rabenald l. c. p. 120 sqq. disseruit.

Caput II.

Praemissis his rebus commentatione haudquaquam indignis ad nostrum propositum ipsum nos convertimus. quisquis Ausonii librum eclogarum (p. 86—108 Peip.) legerit[1]), concedet eclogas in universum in tria genera dividi, quam divisionem non solum eclogae ipsae, sed etiam codices suadent. ut praefationem ad Drepanium filium missam praetereamus, primae eclogae continent doctrinam Pythagoricam (2. 3. 4). quas cum ex Graeco esse versae videantur et argumento plane diversae sint a ceteris eclogis, in hac quaestione non respiciemus. accedit *Hesiodion*, quo carmine Ausonium et ipso versus Graecos (sc. Hesiodi) latine reddidisse est apertum (5). hae quattuor eclogae etiam in codicibus servatis cohaerent. nam in codice Vossiano (fol. 111 saec. VIIII), quem ad id corpus ipsum Ausonii scriptorum, quod redactor quidam 'post mortem poetae ex scriniis ipsius' in lucem emisit et in quo syllogen exhiberi vel ab ipso Ausonio factam vel saltem ad eius voluntatem concinnatam A. Riese[2]) docuit, recedere constat, una cum tribus eclogis sequentibus, sed seiunctae ab reliquis omnibus eclogis leguntur[3]), in collectione carminum Ausonianorum, cui titulus est 'Incipiunt excerpta de opusculis Decimi Magni Ausonii' quaeque servata est praecipue Sangallensi 899 saec. X G et Bruxellensi 5369/73 saec. XII B codicibus, solae inveniuntur[4]). eclogam 'de ambi-

[1]) ordinem editionis Peiperi sequor, quamquam eclogae 9—26 in Vossiano codice principali priorem locum obtinent ante eclogas 1—8.

[2]) Anth. Lat. II praef. p. XVIII editionis prioris.

[3]) cf. Peiper, edit. praef. p. XXII.

[4]) cf. Peiper l. c. p. LII.

guitate vitae' unam praeter Vossianum Parisinus solus habet eamque cum appendice. eclogae sequentes, quae alterius generis sunt, ad cognitionem siderum spectant (6. 7. 8). tertium genus eclogarum constat ex versibus, quos appellamus memoriales, pertinent autem ad compositionem anni Romani et sunt de anno eiusque partibus (9—19), de agonibus (20—23), de feriis Romanis (24). hi versus memoriales, qui ad antiquitates Romanas spectant, quem ad fontem sint referendi, scire plurimum interest. hae eclogae una (19) excepta, quam Tilianus solus exhibet, in Vossiano codice priore loco quam eclogae (2—8) leguntur et librum per se faciunt, sicut titulum habent 'incipit eglogarum' (sc. liber)[1]. deinde sunt nobis enumeranda monosticha de aerumnis Herculis (25), quae primae classi tribuimus, cum Ausonium iis carmen anthologiae Planudeae 92 latine reddidisse certum sit, Quinti Ciceronis de signis versus (26), quos ut inter eclogas tertii generis ducamus, inscriptio ipsa[2]) suadet, denique versus hexameter anonymus, quem nonnulla verba horridula atque incompta praeeunt et explicant, cum in versu ipso verbum finitum desideretur; sequuntur autem versus ultimi, quibus sententia superstitiosa in illo versu prolata refellitur. neglectis etiam his versibus eclogas alterius et tertii generis solas ex consilio huius dissertationis in quaestionem vocabimus quas ad fontes suos reducere conemur.

atque cum ad eclogas 6. 7. 8 propius accedimus, hoc primum, quod nonnullius momenti videtur esse, animadvertimus, eclogam 6 in codice Vossiano solo nobis esse traditam eamque coniunctam cum ecloga 5, qua Ausonium Hesiodi de aetatibus animantium versus in latinum convertisse diximus. qua de causa editores priores eam cum ecloga 5 coniunxerunt. sed iam Mariangelus Accursius[3])

---

[1]) cf. Peiper l. c. p. XX.

[2]) hanc inscriptionem ab Ausonio ipso esse factam veri est simillimum; cf. A. Riese l. c.

[3]) Diatribae in Ausonium, Solinum, Ovidium, Romae 1524.

hos septem versus, ex quibus ecloga 6 constat, ab ecloga 5 seposuit, ut Th. Pulmannus[1]) adnotat, videlicet quod ille vir doctissimus vidit eos ab ecloga 5 esse alienos. idem C. Schenkl sensit neque tamen sibi persuasit rem certam esse haec adnotans[2]): 'versus 11 sqq. carminis huius (sc. eclogae 5) olim ab eo secludendos ac fragmentum alterius carminis esse suspicatus sum ea re inprimis motus, quod hi versus Vossiano solo exhibentur, in ceteris autem codicibus non leguntur (cf. Sitzungsberichte der Wiener Akad. der Wiss. XXXXIII 68). atque hanc sententiam adsensu suo comprobavit Peiperus (p. 308 adn. 194). sed iam mihi res minus certa esse videtur. nam, etsi hi versus cum eis, qui antecedunt, non satis apte coniuncti sunt, tamen iam non negem vinculum quoddam inter hos et illos intercedere, ac facile sane fieri potuit, ut hi versus ob eam rem in ceteris libris omitterentur.' itaque C. Schenkl in editione versus cum ecloga 5 coniunctos edidit. hic ille vir doctissimus non recte iudicavisse mihi videtur. nam si re vera ecloga 6 pars eclogae 5 esset, permirum esset, ut Schenkl ipse indicat, reliquos omnes codices eclogam 5 sine his versibus tradere. quid? quod in codice Sangallensi post v. 10 eclogae 5 legimus: *finit ecloga sup̄. scr̄*? sed quod gravius est, ecloga 6 cum ecloga 5 coniungi non potest nisi satis inepte, ut etiam Schenkl concedit. neque enim ad *cetera* in v. 10 ecl. 5 exspectes ullam explicationem, minime vero talem appositionem, qualis esset ecloga 6. immo potius *cetera* fortunas hominum intellegendas esse mihi concedes. quae cum ita sint, R. Peiper recte iudicavisse mihi videtur, cum eclogam 6 ab ecloga 5 seiungeret. sane quidem sumendum est huius eclogae priorem partem excidisse culpa fortasse librarii codicis Vossiani aut eius codicis, e quo hic est descriptus, cum oculis aberrantibus initium eclogae transiret; aut nobis est putandum eclogam 6 ab initio fragmentum fuisse, cum Ausonius morte impediretur, ne eclogam conficeret. atque cum eclogam 6 ipsam accura-

[1]) in margine p. 103 editionis (Antverpiae 1568).
[2]) edit. prooem. p. XXXVIII adn. 33.

tius examinamus, hoc carmen non de planetis, quem titulum Peiperus in apparatu critico proponit, sed de anno magno nobis videtur inscribendum esse. nam referuntur omnia tempora, quae planetae septem volvunt, ad annum magnum, neque ulla alia notio huic eclogae est subiecta nisi annum magnum ex orbibus planetarum septem confici: de eodem autem anno magno idem docet Censorinus de d. n. 18, 11 pluribus verbis: „est praeterea annus, quem Aristoteles maximum potius quam magnum appellat, quem solis et lunae vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad id signum, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur; cuius anni hiemps summa est cataclysmos, quam nostri diluvionem vocant, aestas autem ecpyrosis, quod est mundi incendium. nam his alternis temporibus mundus tum exignescere tum exaquescere videtur. hunc Aristarchus putavit annorum vertentium $\overline{\text{IICCCCLXXXIII}}$, Aretes Dyrrachinus $\overline{\text{VDLII}}$, Heraclitus et Linus $\overline{\text{XDCCC}}$, Dion $\overline{\text{XDCCCLXXXIIII}}$, Orpheus CXX, Cassandrus tricies sexies centum milium: alii vero infinitum esse nec umquam in se reverti existimarunt.“ videmus Ausonium et Censorinum in anno magno explicando inter se concinere ita quidem, ut Ausonius orbes planetarum accuratius exhibeat, cum Censorinus solis lunaeque vagarumque quinque stellarum orbes in summa dicat et praeter explicationem cataclysmi et ecpyrosis philosophorum sententias de magnitudine anni magni addat. sed alio capite Censorini (13, 3. 4) eadem nomina Graeca planetarum, quae Ausonius in hac ecloga adhibet, invenimus eademque apud Martianum Capellam VIII 851 [1]) legimus, quem librum maximam partem ex Varrone esse exscriptum paene certum est [2]).

---

[1]) ‘nam Saturnum Phaenona dicunt Iovemque Phaethonta, Pyroenta Martem, Venerem, Phosphoron, Mercurium Stilbonta nominarunt: Soli vero Lunaeque diversitas gentium innumera vocabula sociavit.’

[2]) cf. Fr. Eyssenhardt in praef. edit. p. LVI sqq. cui etiam Guil Langbein, De Martiano Capella grammatico, diss. Jen. 1914 p. 8 sq. assentiri videtur, quamvis Martianum Cappellam in tertio libro potissimum grammaticos quarti p. Chr. n. saeculi compilavisse demonstraverit.

sed cum etiam Censorinum duobus quos citavimus locis ex Varrone pendere veri simillimum sit[1]), suspicio est etiam Ausonium in hac ecloga doctrinam Varronianam praebere.

Sed iam properemus ad eclogam sequentem, quae inscribitur de ratione librae. hic poeta nos docet corporibus mundi ingentibus, quae in sua via manere neque unquam labi nemo non miretur, tenuissima principia esse, quae parvarum serie atomorum constent. sed atomos parvas ipsas solidas esse neque ullum segmentum ab eis secludi posse. qua ex re sequi illam aeternam mobilitatem siderum. quod ut illustret, se divinis humana comparare velle ait. sic assem esse solidum, dum nulla uncia de unciis duodecim, quarum unaquaeque unam eandemque vim habeat, dematur. ut si quis de fornice lapidem medium vellat, reliqui labantur et decidant, ita sese habere libram assis. si desit uncia, totum iam deuncem esse. nec dextantem retinere nomen (sc. suum) sextante dempto et dodrantem quadrante sublato auctore i. e., si quid intellego, auctoritate sua carere[2]) itemque bessem triente divulso et quincuncem grammate dempto. semissem non esse semissem, ubi partem assis detrahas, septuncem non septem partes[3]) assis, si quid desit. libram igitur esse, si totum in nulla parte vacillet. libras varias esse, ut telluris quae in

---

[1]) c. 18, 11 ex Varrone esse haustum ideo pro certo habeo, quod Censorinus in hoc capite et capitibus proximis Varronem et Suetonium, quos ipse c. 20, 2 citat, alternis vicibus adhibuisse videtur; cf. P. Weber, Quaest. Sueton., diss. Hal. 1903 p. 46. c. 13 Censorinum ex Varrone exscripsisse infra demonstrabimus.

[2]) codex V praebet hunc versum corruptum: 'et dodrans quadrante satš auctore carebit.' Gronovius pro *satš* censuit *carens* legendum esse Schenkelius *retracto* voluit. utrumque veri dissimile mihi videtur esse, illud *carens* propter sequens *carebit* et ea de causa, quod litteras, quae exstant, ex *carens* esse profectas vix tibi persuadeas, hoc *retracto* eadem de causa. ego *sublato* esse scribendum conicio, quo ex verbo neglegentia librarii cuiusdam, qui litteras *VBL* omisit, corruptelam *SATS* esse ortam facile mihi credas.

[3]) ego quidem pro certo habeo Ausonium falso septimam partem pro septem partibus dixisse.

medio aere pendeat, solis lunaeque, quarum vias libra coerceat, diei noctisque, quorum horas libra determinet; aestus Caledonios ad nullum litus pulsantes libra contineri. in versu ultimo poeta ad lectorem versus: 'tu quoque' inquit 'certa mane morum mihi libra meorum'. denique adnotandum est in margine v. 18—26, quibus as eiusque partes comparandi causa afferuntur, antiquam manum haec signa assis et partium eius addidisse (miror C. Schenkelium in editione ea silentio praeteriisse):

/	(uncia)	S Λ/	(dodrans)	Λ Λ/	(quincunx)
S Λ Λ/	(deunx)	Λ/	(quadrans)	ζ	(semis)
S Λ Λ	(dextans)	Λ Λ	(triens)	|	(as)
Λ	(sextans)	S Λ	(bes)	/|\	(libra)

Ausonium hanc eclogam non de suo excogitavisse apparet. atque primum facile conicias Ausonium non totam doctrinam in hac ecloga prolatam apud unum eundemque auctorem invenisse. neque enim quisquam erit, qui non offendat in illa partium assis comparatione. nonne mirum est, ut exemplum afferam, cum poeta dicere velit dextantem nomen suum non retinere, si qua pars de eo dematur, pro hac parte sextantem ipsum poni, quo dextanti adiecto as reficitur? atque eandem rem in quadrante et besse animadvertimus;[1]) neque tamen sine causa eas ipsas partes, quae cum dodrante, quadrante, besse coniunctae semper eundem assem conficiunt, electas esse satis demonstrare mihi videntur signa antiqua adiecta, quae, quin ab Ausonio ipso sint adscripta, mihi non dubium est; manifestum est auctorem, quisquis fuit, as eiusque partes explicare voluisse. quae cum ita sint, facile adducaris, ut conicias poetam occasione oblata assis eiusque partium explicationem ipsum hic interposuisse. et addas poetam hic morem saeculi sui esse secutum; nam hanc partem eclogae esse numerandam in illis de asse eiusque partibus

---

[1]) partes assis ipsas unitates esse intellegendas quamvis v. 20. 21. 22 non demonstrent, tamen ex versibus sequentibus (23. 24. 25) apparet.

expositionibus, quae multae sunt scriptae imperio Romano cadente. conferendum enim est initium Victorii argumenti calculandi[1]) et carminis de ponderibus v. 41 sqq.[2]) cum versibus Ausonii:

Victorii argumentum calculandi.

Et assis quidem, qui per I litteram, sicut in numeris unum scribi solet, exprimitur, XII partes habet, quarum si unam detraxeris, reliquae XI partes iabus dicuntur, illa vero, quam detraxisti, id est duodecima, uncia vocatur. si duas sustuleris, X residuae dextas, et quod sustulisti, id est duae, sextas appellatur. at si III dempseris, VIIII quae remanserunt dodras, et III demptae quadras vocatur. quod si IIII tollere velis, VIII reliquas bessem et IIII trientem nominabis. V vero sublatis VII residuas septuncem et V sublatas quincuncem placuit appellari. cum per medium fuerit facta divisio, utrumque dimidium senis partibus constans semissem vocaverunt; unciam autem et dimidiam sescunciam, unciaeque dimidium semunciam.

Carm. de ponderibus v. 45 sqq.

uncia si librae desit, dixere deuncem;
ac si sextantem retrahas, erit ille decuncis[3])
sed nullum reliquo nomen semuncia certum
dempta dabit, neque quae est huius sescuncia triplex.
dodrantem reliquum vocitant quadrante retracto;
cumque triens desit, bessem dixere priores.
idem septuncem dempto quincunce vocarunt.
post haec semissis solidi pars maxima fertur;
nam quae dimidium superat pars esse negatur,
ut docuit tenui scribens in pulvere Musa.
cetera dicta prius quibus est semuncia maior.

---

[1]) Metrol. script. ed. Hultsch II p. 87.

[2]) Hultsch l. c. p. 90 sq. cave ne etiam carmen Anth. lat. 741, quod est de libra et partibus eius, hic afferas. hoc enim medio aevo tribuendum esse et a Fulberto Carnotensi episcopo compositum codices testari monet Aem. Baehrens, Rhein. Mus. XXXII 1877 p. 225.

[3]) cf. W. Christ, Rhein. Mus. XX 1865 p. 66 sq.

tamen sunt, quae me impediant, ne putem Ausonium hanc explicationem assis eiusque partium ipsum interposuisse. in omnibus partibus, ex quibus as constat, unam vim manere, id quod iam v. 12 est dictum, auctor accuratius demonstrare voluisse mihi videtur. accedit, quod notae assis eiusque partium propter simplicitatem antiquissimae esse mihi videntur. quae arta affinitate coniunctae sunt cum notis, quas apud Volusium Maecianum, M. Aurelii praeceptorem, in distributione quae dicitur legimus,[1]) cum eae, quae nobis sunt traditae in codice Bernensi 83 aliis codicibus agrimensoriis,[2]) posterioris aetatis aut certe longe alius originis esse videantur. videas has tabulas.

	Volusius Maecianus	Ausonius	codex Bernensis 83 saec. XI et X.
uncia	—	/	∼
deunx	S = =	S Λ N	S ζ ζ,
dextans	S = =	S Λ Λ	S ζ ζ
sextans	=	Λ	ζ
dodrans	S = —	S N	S ζ,
quadrans	≡ —	N	ζ,
triens	≡ ≡	Λ Λ	ζ ζ
bes	S =	S Λ	S ζ
quincunx	≡ =	Λ N	ζ ζ,
semis	ζ	ζ	S
as		I	I
libra		Λ	

inter Maeciani et Ausonii notas ea sola differentia intercedit, ut, cum uterque scriptor singulas uncias in compositione singulis lineis exprimat, Volusius linea transversa utatur, Ausonius lineam obliquam ponat eamque semper cum altera in angulum coniungat. in codice autem Bernensi pro uncia sola invenimus lineam curvam et transversam ∼, cum Ausonius eandem notam pro uncia sola

[1]) Hultsch l. c. p. 62 sq.

[2]) dico codices Gudianum 105 et Mutinenses 580 et 190 apud Hultschium l. c. p. 129 sqq.

rectam adhibeat. pro sextante i. e. duabus unciis forma, quae simillima est litterae Graecae ζ[1]), in codice Bernensi ponitur; huic sextantis notae adicitur brevis linea obliqua, ut quadrans, qui ex tribus unciis constat, exprimatur. quae cum ita sint, etiam ex his notis apparere videtur Ausonium in assis partibus comparandis non sui temporis morem reddere, sed ex eodem auctore pendere, ex quo reliquam doctrinam in hac ecloga depositam, quae quidem multo subtilior est, hausit. hanc autem iterum Varronianam esse ea de causa opinor, quod in Varronis libris de lingua latina superstitibus similes sententiae inveniuntur. ut X 59 hanc sententiam legimus: 'neque minus in fornicibus propter sinistram dextra stat, quam propter dextram sinistra'. quae verba cognata sunt cum versibus Ausonii

ut medium si quis vellat de fornice saxum,
incumbunt cui cuncta, simul devexa sequentur
cetera communemque trahent a vertice lapsum.

praeterea quae de asse eiusque partibus in hac ecloga legimus, similia esse eis, quae de l. l. V 172 scripta videmus: 'et ea quae deminuuntur ita sunt, ut extremas syllabas habeant, ut deunx dempta uncia, dextans dempto sextante, dodrans dempto quadrante, bes, ut olim des, dempto triente' nemo negabit. quid porro? nonne etiam enumeratio librarum Varronis esse videtur, qui de l. l. IX 18 de viis solis et lunae legibus aeternis constitutis et in sequenti paragrapho (19) de aestibus maritimis certis temporibus ordinem suum servantibus verba facit, quamvis ibi has res longe alia ratione intueatur? quid tandem? nonne ex libris de lingua latina scimus Varronem ipsum, si quam rem attigerat, eam pluribus verbis exponere solitum esse, cum sententiis suis, ut ita dicam, ferendum se daret? eandem autem consuetudinem auctor doctrinae huius eclogae est secutus. huc accedit, quod haec ecloga traditione ipsa et certa quadam argumenti affinitate cum ecloga 6, quam

---

[1]) cf. Hultsch praef. p. XX.

doctrinam Varronianam praebere veri esse simillimum modo vidimus, et cum ecloga 8, qua Ausonium doctrinam eiusdem Varronis expressisse nunc demonstrabimus, artissime continetur; cum ecloga 8 est etiam prior pars tituli (de ratione) eclogae 7 communis [1].

Venimus ad eclogam 8, quae est de ratione puerperii maturi. Ausonius hic eandem doctrinam Chaldaicam nobis tradidit atque Censorinus de die natali c. 8. necesse est sit alterum de duobus: aut Ausonius a Censorino pendet aut uterque auctorem communem sequitur. illud sumpsit Joh. Kurt Wagner [2]. atque iam ante C. Schenkl eandem opinionem videtur amplexus esse [3]. sed rem aliter sese habere cognoscemus, cum duos scriptores accuratius inter se comparaverimus. nam quamvis multa, quae apud utrumque legimus, concinant, tamen nonnullae discrepantiae existunt, e quibus elucet utrumque fontem communem adiisse. uterque refert vitam nostram stellis esse subiectam. cum vero Ausonius unus addat terrena tantum esse hominibus membra, poetam hoc de suo addidisse non puto. immo veri est simile eum hanc sententiam, quippe

---

[1]) ego quidem nescio ad quem alium fontem haec ecloga sit referenda; neque tamen omittam, si quis aliunde huic quaestioni difficillimae lucem allaturus sit, adnotare hanc eclogam et carmen de ponderibus, quod eodem fere tempore ex chartis veteribus *Paeoniis* (i. e. medicinalibus) est compositum (cf. Hultsch l. c. p. 30 sq.), compluriens inter se concinere. ut versus 2 sqq. illius carminis anonymi: 'pondus rebus natura locavit corporeis: elementa suum regit omnia pondus. pondere terra manet: vacuus quoque ponderis aether indefessa rapit volventis sidera mundi' cum v. 1 sqq. et v. 28 sq. eclogae Ausonianae certa quadam sententiarum affinitate coniungi nemo infitiabitur itemque v. 45 sqq. carminis de ponderibus non dissimiles esse Ausonii versibus 20 sqq. iam supra diximus. denique cf. singula verba, ut *accipe* c. d. p. v. 32, Auson. v. 4; *componere* c. d. p. v. 49, Auson. v. 10. nescio an iure coniciam auctorem carminis de ponderibus doctrinam suam, quae magna laude digna est, eidem Varroni debere, ex quo Ausonius quoque pendet.

[2]) Quaest. neotericae imprimis ad Ausonium pertinentes, diss. Lips. 1907 p. 47.

[3]) cf. editio eius p. 266.

qua stellarum vis in hominem terrenum optime explicetur, iam in fonte suo invenisse. tum uterque dicit solem, qui ceteras omnes stellas regat earumque potentiam immutet, plurimum valere ad homines. hic quoque differentia quaedam exstat inter duos scriptores. Ausonius docet solem non solum vitam nostram moderari, sed etiam magnam vim habere in nos, dum nascamur, cum Censorinus illam priorem sententiam omittat et solis potentiam in nascentes solam afferat. deinde ad tractationem ipsam accedunt. Censorinus autem pauca praemittit de conspectu vel de zodiaco. zodiacum, in quo sol et luna ceteraeque planetae ferantur, in duodecim partes totidem signis redditas esse divisum. quem solem annuo spatio permeare, ut in singulis signis singulos menses moretur; signum quodlibet cum ceteris singulis habere mutuum conspectum. tum demum Censorinus eadem explanat atque Ausonius: solem, cum partus concipiatur, in aliquo signo esse necesse esse et, ut describit iterum Censorinus unus, in aliqua eius particula, quem locum conceptionis proprie appellari. has particulas, quae tricenae in singulis signis exstent, Graecos moeras cognominasse, quoniam deas fatales Moeras nuncuparent eaeque particulae velut fata hominibus essent. abhinc demum Censorinus viam una cum Ausonio facit. apud utrumque scriptum videmus solem, cum in signum proximum transcenderit, in locum conceptionis nullum aut imbecillum lumen emittere; sed cum in tertio signo sit, eum illum locum conspicere posse quamvis obliquo lumine. quem conspectum *κατὰ ἑξάγωνον* vocari addit Censorinus, quod sextam partem circuli subtendat. nam, ut verba eius sequar, si ut a primo zodiaco ad tertium, sic a tertio ad quintum, inde porro ad septimum ac deinceps alternae lineae emittantur, hexagoni aequilateralis formam in circulo scribi. Ausonius haec omnia omittit, videlicet quod haec facile ex sequenti explicatione intelleguntur. uterque explicat, cum hic conspectus minimum ad maturitatem partus conferat, con-

spectus duos sequentes, qui dicantur κατὰ τετράγωνον et κατὰ τρίγωνον, maximam vim habere. neque vero quicquam a sexto loco solem proficere. at a septimo zodio potentissimum conspectum esse, ut nonnumquam partus maturus fiat et infantes septemmenstres nascantur. octavo autem mense infantes non edi, cum conspectus ab octavo signo ut a sexto loco nullius momenti sit. sed mense nono matres parere solere, cum sol rursum κατὰ τρίγωνον locum conceptionis conspiciat: interdum etiam decimo demum mense infantes nasci. denique Censorinus unus prosequitur neque undecimo mense, cum sol rursum κατὰ ἑξάγωνον locum illum conspiciat, neque duodecimo mense partus fieri solere. vidimus Ausonium, quamquam Censorinus in universum accuratius hanc doctrinam Chaldaeorum prodidit, tamen duobus locis plura quam Censorinum dedisse, cum nonnulla, quae Censorinus perspicuitatis causa addidit, neglegeret. vel inde apparet Ausonium potius ex eodem fonte atque Censorinum hanc doctrinam hausisse. sed fons communis fuit M. Terentius Varro. nam Censorinum c. 8 e Varrone sumpsisse consentiunt viri docti: iam H. Diels[1]) est opinatus hoc caput ad Varronis logistoricum, cui nomen erat Tubero, recedere. tum P. Weber[2]) accuratius in Censorini fontes inquirens hoc idem, quamvis non sine aliqua dubitatione, contendit, cum Censorini c. 11, ubi § 8 verba 'qui numerus dierum ad tetragonum illum Chaldaeorum conspectum subtiliter congruit' ad hoc c. 8 spectantia leguntur, ex illo logistorico sit haustum et c. 8 eius argumento convenire videatur. P. Weberum est secutus A. Hahn[3]). tamen quamvis concedam in hoc capite doctrinam Varronianam esse servatam, omnes tres viri docti in ea re erravisse mihi videntur, quod c. 8 logistorico, qui inscribitur Tubero, vindicaverunt. immo potius c. 8 et nonnulla capita sequentia e Varronis disciplinis esse

[1]) Doxographi Graeci p. 188.

[2]) Quaestionum Suetonianarum capita duo, diss. Hal. 1903 p. 42.

[3]) De Censorini fontibus, diss. Jen. 1905 p. 9.

sumpta persuasum habemus. sed ut hoc demonstremus, paulo longius argumenta nobis sunt repetenda. Censorinus, quid in c. 7–13 tractare in animo habeat, indicat c. 7, 1 his verbis: 'superest dicere de temporibus, quibus partus soleant esse ad nascendum maturi; qui locus eo mihi cura maiore tractandus est, quod quaedam necesse est de astrologia musicaque et arithmetica attingere'. itaque c. 7 opiniones philosophorum Graecorum de partus temporibus profert, c. 8 illam doctrinam Chaldaeorum astrologorum explicat, c. 9 ad tempora reversus opinionem Pythagoricam Varroni tractatam in libro qui vocatur Tubero, c. 10 iterum a re ipsa digressus de musicae regulis, maxime de symphoniis primis et simplicibus verba facit, c. 11 ad propositum reversus Pythagorae de numero dierum ad partum pertinentium sententiam explicat. tum c. 12 musicae in homines potentiam enarrat, denique c. 13 harmoniae doctrinam Pythagoricam exponit. videmus igitur eum c. 8. 10. 12. 13 contextum interrumpere et in alias regiones evagari, id quod ipse in c. 7 initio indicaverat. c. 7. 9. 11. 14, quae argumenti affinitate artissima inter se continentur, e Varronis Tuberone esse sumpta P. Weber [1]) H. Dielesium secutus recte demonstravit. fontem capitum (8.) 10. 12. 13 non invenit. A. Hahnium quidem, qui post P. Weberum copiosius de Censorini fontibus egit, non effugit in his quoque capitibus frustula doctrinae Varronianae latere, id quod iam pridem H. Deiters [2]) et E. Holzer [3]) demonstraverant, tamen non omnia argumenta exhausisse nobis videtur, ita ut rectum iudicium de his capitibus non fecerit. sed examinemus ipsi haec capita. exordiamur a c. 13, quo doctrina Pythagoreorum, qui siderum suos volventium orbes concentum esse dicebant, continetur. hoc caput non nisi laxo vinculo coniungi et verbis ('ad haec

[1]) l. c. p. 38.

[2]) Ueber das Verhältnis des Martianus Capella zu Aristides Quintilianus, Programm Posen 1881.

[3]) Varroniana, Programm Ulm 1890.

accedit quod') et argumento cum eis, quae antecedunt, nemo negabit. doctrinam Censorino a Varrone suppeditatam esse iam A. Hahn[1]) vidit. neque vero nisi infirmum argumentum afferre nobis videtur, cum moneat in c. 13 aeque atque in c. 11, quod ad Varronis logistoricum redire constat, symphonias tres *διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν* commemorari. fugit hunc virum doctum Cassiodorium Senatorem[2]) nobis non solum tradere Censorinum hic a Varrone pendere, sed etiam satis perspicue indicare, quo e libro Varronis Censorinus hauserit: '. . . . . geometria Latine dicitur terrae dimensio, quoniam per diversas formas ipsius disciplinae, ut nonnulli dicunt, primum Aegyptus dominis propriis fertur esse partita; cuius disciplinae magistri mensores ante dicebantur. sed Varro peritissimus Latinorum huius nominis causam sic exstitisse commemorat: dicens prius quidem homines dimensiones terrarum terminis positis, vagantibus populis, pacis utilia praestitisse; deinde totius anni circulum menstruali numero fuisse partitos; unde et ipsi menses, quod annum metiantur, dicti sunt. verum postquam ista reperta sunt, provocati studiosi ad illa invisibilia cognoscenda coeperunt quaerere quanto spatio a terra luna, a luna sol ipse distaret et usque ad verticem caeli quanta se mensura distenderet; quod peritissimos geometras assecutos esse commemorat. tunc et dimensionem universae terrae probabili refert ratione collectam; ideoque factum est, ut disciplina ipsa geometriae nomen acciperet, quod per saecula longa custodit. Unde Censorinus in libro quem scripsit ad Q. Cerellium, spatia ipsa caeli terraeque ambitum per numerum stadiorum distincta curiositate descripsit. quem si quis

---

[1]) l. c. p. 15.

[2]) de artibus ac disciplinis liberalium litterarum cap. 6, quod est de geometria (Migne, Patr. lat. LXX 2 p. 1213). iam Fr. Ritschelius (opusc. III p. 359) et M. Manitius (Latein. Lit. des Mittelalters p. 47 adn. 4) locum Cassiodorii Varronis disciplinarum libro de geometria vindicaverunt, cum Censorinum neglegerent.

recensere voluerit, multa philosophorum mysteria brevi lectione cognoscet.' e quo loco apparet Censorinum c. 13 hausisse e Varronis disciplinarum libro de geometria. Cassiodorius Varronis disciplinas optime noverat, quippe quibus in componendo opere suo uteretur. hoc ipse l. c. cap. III, quod est de dialectica[1]), indicat: '. . . dialecticam vero et rhetoricam Varro in novem Disciplinarum libris tali similitudine definivit . . .'. etiam verba, quibus Cassiodorius l. c. cap. 7, quod est de astronomia, est usus[2]), satis demonstrare mihi videntur eum Varronis geometriam et astrologiam inspexisse. porro eum Varronis Musicam excerpsisse E. Holzer[3]) luculenter ostendit. atque idem Cassiodorius noverat accurate Censorinum, cuius librum 'de accentibus' coenobitis suis descripsit[4]), librumque 'de die natali' iisdem magno studio legendum commendavit[5]). ita vidit, cui Censorinus doctrinam in hoc capite prolatam deberet. quod autem Censorinus hic e Varronis geometria hausit, iam optime intellegimus, cur c. 13 de stadio Italico, Olympico, Pythico doceamur; de his enim mensuris Varroni in Geometria erat dicendum; intellegimus c. 13 extremo verba: 'sed his omnibus subtiliter tractandis hic locus non est; quae si vellem in unum librum separatim congerere, tamen in angustiis versarer.' profecto in Varronis disciplinarum libro multo plura de his rebus erant dicta.

---

1) p. 1168 Migne.

2) p. 1217 Migne: 'nam et Varro libro quem de astrologia conscripsit, stellam commemorat ab stando dictam'; p. 1218: 'mundi quoque figuram curiosissimus Varro longae rotunditati in Geometriae volumine comparavit.'

3) l. c. p. 11.

4) l. c. cap. V de musica p. 1212 Migne: 'Censorinus quoque de accentibus voci nostrae adnecessariis subtiliter disputavit pertinere dicens ad musicam disciplinam; quem vobis inter ceteros transcriptum reliqui'.

5) l. c. p. 1208 Migne: 'invenimus etiam Censorinum, qui ad Q. Cerellium scripsit de natali eius die, ubi de musica disciplina vel de alia parte mathesis non neglegenda disseruit: quoniam non inutiliter legitur, ut res ipsae penetrabilius animo frequenti meditatione condantur.'

at quod A. Hahn Censorinum c. 13 pariter atque capita antecedentia e Varronis Tuberone sumpsisse ratus verba Probi, qui dicitur, ad Vergil. ecl. VI 31 affert: 'ad quam imaginem Varro mundo ovum comparavit in logistorico, qui inscribitur Tubero de origine humana, sic dicens: caelum ut testa, item vitellum ut terra, inter illa duo humor quasi *ἰκμὰς* inclusus aer, in quo calor' atque ex his verbis colligit Varronem in Tuberone pluribus verbis et de mundo et de musica caelesti disseruisse, verbis Probi personati male abuti mihi videtur. quod Varro in Tuberone ovum — scilicet ut quanti momenti esset ovum diceret et illustraret — mundo comparavit, id quod illius logistorici argumento optime convenit, inde profecto non sequitur, ut ibidem de musica caelesti ipsa verba fecerit. ceterum ut Varro ibi ovum mundo comparavit, ita in Geometria mundum ovo comparavit, quod Cassiodorius l. c. cap. 7 prodit: 'mundi quoque figuram curiosissimus Varro longae rotunditati in Geometriae volumine comparavit, formam ipsius ad ovi similitudinem trahens, quod in latitudine quidem rotundum, sed in longitudine probatur oblongum'.[1]) haec non ita vulgaris sententia ab Orphicis esse ficta videtur, sicuti Achilles, Arati interpres, nobis prodidit[2]): *τὴν δὲ τάξιν, ἣν δεδώκαμεν τῶι σφαιρώματι, οἱ Ὀρφικοὶ λέγουσι παραπλησίαν εἶναι τῆι ἐν τοῖς ὠιοῖς. ὃν γὰρ ἔχει λόγον τὸ λέπυρον ἐν τῶι ὠιῶι, τοῦτον ἐν τῶι παντὶ ὁ οὐρανός, καὶ ὡς ἐξήρτηται τοῦ οὐρανοῦ κυκλοτερῶς ὁ αἰθήρ, οὕτω τοῦ λεπύρου ὁ ὑμήν. κατὰ δέ τινας, ἐπειδὴ ὁ οὐρανὸς καὶ ὁ αἰθὴρ εἷς ἐστι, μετὰ δὲ τοῦτον ὁ ἀήρ, ἔσται ἐν τοῖς ὠιοῖς ὁ ὑμὴν τοῦ ἀέρος τάξιν ἐπέχων. ἡ δὲ λευκὴ σάρξ ἡ ἐν τῶι ὠιῶι ἐὰν τὴν τοῦ ἀέρος τάξιν ἐπέχηι, ἔσται ἡ λέκιθος τοῦ ὠιοῦ τὴν τοῦ ὕδατος τάξιν ἐπέχουσα, τὸ δὲ ἐνδότατον καὶ μεσαίτατον τῆς λεκίθου τὴν τάξιν ἔχον τῆς γῆς. εἰ δὲ ὑμένα τὸν ἐν τῶι ὠιῶι ἀντὶ τοῦ αἰθέρος*

---

[1]) F. Ritschelius (opusc. III 397 in adnotatione) mundum huius loci falso solam tellurem interpretari mihi videtur.

[2]) p. 33 ed. E. Maaß, Commentariorum in Aratum reliquiae, Berolini 1898

λάβωμεν, τὸ τῶν ὀρνίθων γάλα ἀντ' ἀέρος ἔσται καὶ ἡ ἔξωθεν περιφορὰ τῆς λεκίθου ἀντὶ ὕδατος, τὸ δὲ ἐνδότατον καὶ μεσαίτατον ἀντὶ τῆς γῆς. καθόλου δέ, ἐὰν πέντε σφαίρας εἴπωμεν κατὰ τὸν Ἀριστοτέλην (de mundo p. 392a—393a), *τὸ ἐνδότατον τῆς λεκίθου ἀντὶ τῆς γῆς παραληφθήσεται, ἐὰν δὲ τέσσαρας κατὰ τοὺς ἄλλους, ὅλη ἡ λέκιθος ἀντὶ τῆς γῆς ἔσται, οὐ κατὰ τὸ μέγεθος, ἀλλὰ κατὰ τὴν τάξιν.* cum hanc doctrinam Orphicorum apud Achillem mediam inter Posidoniana traditam videamus, non temere conicere mihi videor, hoc quoque caput ad illum philosophum Stoicum redire, a quo etiam Varronem cognitionem huius doctrinae habuisse suspicamur; hoc eo magis credimus, cum Sextus Empiricus[1]) et Diogenes Laertius[2]) nos doceant Stoicos ipsos talibus comparationibus esse usos: philosophiae partes eos cum agro frugifero comparavisse ita, ut circumiectae saepi logicen, humo sive arboribus physicen, fructui ethicen aequarent. sed alios Stoicos philosophiam ovo similem esse dixisse ita, ut ethice quasi vitellus, physice album, logice testa esset; Posidonium vero illam priorem comparationem improbavisse, quod philosophiae partes contra atque agri partes discerni non possent, et ipsum philosophiam cum animali comparasse, cum ethice animo, physice carni, logistice ossibus ac nervis responderet[3]).

sed priusquam ad c. 12 et 10 Censorini accedamus, quaeramus, num etiam apud alios scriptores vestigia huius capitis ipsius e Varronis disciplinis sumpti, quod est de sphaerarum harmonia, inveniamus. primum afferamus C. Plinium Secundum, qui in Naturalis Historiae libro II

---

[1]) adv. dogmaticos I (= adv. mathem. VII) 17 sqq.

[2]) VII 40.

[3]) haud scio an Posidonius alteram comparationem ea de causa repudiaverit, quod ipse iam Orphicos secutus ovo mundum comparaverat. ceterum etiam alios philosophos, ut Empedoclem (cf. Diels, Vorsokratiker I³ p. 208 fr. 50) et Epicurum (cf. Useneri Epicurea p. 127 fr. 82), hac doctrina Orphicorum esse usos optime docuit O. Kern, de Orphei Epimenidis Pherecydis Theogoniis quaest. crit., diss. Berolin. 1888 p. 10 sqq.

83 sq. illam doctrinam Pythagoreorem explicat[1]. hic Plinium Varronem, quem in auctorum indice primum nominat, esse secutum iam F. Münzer[2] cognovit, cum Censorinum conferret. sane exstat differentia quaedam inter Plinium et Censorinum, quam Münzer silentio praeteriit. nam cum hic dicat a Saturno ad signiferum hemitonion esse, ille sescuplum toni affert. ita fit, ut Censorinus a caelo summo ad terram tonos sex, Plinius septem tonos esse dicat; tamen uterque refert a signiferro ad terram diastema esse diapason. hanc discrepantiam facile expediri Ed. Zeller[3] monet: nam terram esse immotam itaque non consonare cum ceteris planetis credebant antiqui. cum neglegentia igitur scripsit Plinius: 'ita septem tonos effici, quam diapason harmoniam vocant', cum in sex tonis diapason symphoniam esse inter omnes constet. sed Censorinum quoque non diligentem se praebuisse idem Zeller l. c. indicat. nam Censorinus, cum c. 13 ineunte dicat septem stellas inter caelum et terram vagas dulcissimam melodiam concinere itaque terram excipiat, postea, cum intervallorum summam computat, tonum terrae falso in ratione ponit; qua in re quamvis rectam summam sex

---

[1]) adnotandum est hunc locum Plinii multo post a scriptore incerto esse compilatum: inter libros, qui non ita certo Isidoro Hispalensi episcopo attribuuntur, opusculum quoque 'de harmonia et caelesti musica' invenimus quod adhuc neglectum Arevalus descripsit in adnotatione ad de natura rerum c. XIII et recensuit in Isidorianis c. 86, 3. quisquis hoc legerit, eum non effugiet has sententias esse compositas e Plinii Naturalis Historiae libro II, quem magnam partem e Varrone esse sumptum certum est, et e scholiis ad Aratum latinum scriptis (apud E. Maaß l. c. p. 272 sqq.). eo loco, quo intervalla planetarunm enumerantur, Plinii N. H. II 84 esse compilatum manifestum est. totum opusculum postea Honorius Augustodunensis, quem circa annum p. Chr. n. 1100 vixisse constat, in opus de imagine mundi recepit, id quod iam Arevalus vidit. vides quantum valuerit doctrina Varronis immortalis, quae, ut verbis Caroli Fries utar, perabundans in posterorum rivos sescentos fluminis instar turgiduli prataque sicca irrigantis se diffudit.

[2]) Beiträge zur Quellenkritik des Plinius, Berlin 1897 p. 162 sq.

[3]) Phil. d. Griechen I[5] p. 431.

tonorum efficeret, divisionem octachordi neglexit, ad quam a terra ad solem (i. e. ab ὑπάτῃ ad μέσην) tonos duos et dimidium i. e. intervallum dia tessaron, a sole ad caelum (i. e. a μέσῃ ad νήτην) tonos tres et dimidium i. e. intervallum diapente esse est necesse. apparet Censorinum explicationem auctoris sui (i. e. Varronis) non recte intellexisse.

iam vertimus nos ad tertium scriptorem, quem ex eodem Varrone sphaerarum harmoniam hausisse pro certo habemus, dico Martianum Capellam. hic scriptor, quem Varronis disciplinas in opere suo componendo adhibuisse inter omnes viros doctos constat, II 169 sqq. fingit Philologiam, quam Mercurius sibi uxorem delegit, a terra ad caelum deduci; quo in itinere describendo pluribus verbis poeta commoratur, ut quam plurimam doctrinam (sc. Varronianam) ostentet. legimus Philologiam primum a terra ad lunam iter facere. non omittit poeta dicere intervallum esse centum viginti sex milium stadiorum, quo compleverint tonum primum ex phthongis caelestibus. a luna virginem hemitonio permeando ad Mercurium venientem facit. atque hinc altero hemitonio transvolando ad Venerem, deinde sescuplo toni ascendit Philologia ad solem, tum aliud hemitonium ad Martem permetitur. abhinc iterum hemitonium transcurrit ad Iovem, cuius circulum Phrygio phtongo personare Martianus Capella addit. atque etiam plura de Iove poeta docet: sidus Iovis esse temperamenti vivifici ac salubris effulgentiae blandisque vibratum candoribus. lucis naturam quadam prosperitatis tranquillitate rutilare. tum alio hemitonio permeato ad Saturnum venit virgo, cuius circulus melo Dorio tinniebat. denique poeta finem itineris sic describit: 'inde maximis conatibus sescuplo itinere evehuntur. nam tono ac dimidio ad ipsius caelestis sphaerae globum ac laqueatum stellis ambitum pervenitur. sicque sex tonorum conscensionibus stadiorum defecta lassitudine fatigati cum diapason symphoniam quicquid emensi erant adverterent consonare perfectione absolutae modulationis, post labores maximos recreati paulu-

lum conquierunt'. apparet Martianum Capellam in omnibus fere rebus cum Plinio congruere. uterque refert intervallum a terra ad lunam esse centum viginti sex milium stadiorum, quod sit tonus. uterque docet Iovem Phrygio, Saturnum Dorio sono moveri; apud utrumque eadem intervalla eodem ordine legimus. sane in una re duo scriptores inter se discrepant. nam cum Plinius (sicut Censorinus) dicat a Sole ad Martem tonum esse, Martianus Capella inter duas stellas hemitonium esse tradit. huius discrepantiae causam Martiani neglegentiam fuisse veri est simillimum. nam cum hoc errore est coniunctus etiam alter. in fine huius partis libri (§ 199), quam supra exscripsimus, summam intervallorum sex tonos, in quibus sit diapason symphonia, dicit. at re vera si omnes tonos a Martiano commemoratos computabis, videbis summam facere sex tonos et dimidium. manifestum est Martianum fontem magna cum incuria adhibuisse. quo modo hic error sit explicandus, facile dictu est. nam Varronem septem tonos in summa pro singulis stellis tradidisse, postea autem, cum diapason harmoniam explanaret, primum tonum (sc. a terra ad lunam) consulto omisisse pro certo habemus. Martianus autem, ut erat compilator neglegentissimus, hanc rem non perspexit.

age porro comparemus Censorin. 13, 3 sqq. cum eis, quae Favonius Eulogius, Augustini discipulus, in disputationibus de Ciceronis somnio Scipionis (p. 18, 9 ed. Holder, Lipsiae 1901) nobis prodidit:

Censorin. de die natali 13, 3 sqq.

igitur ab terra ad lunam Pythagoras putavit esse stadiorum circiter centum viginti sex milia idque esse toni intervallum; a luna autem ad Mercurii stellam,

Favonius Eulogius p. 18, 9 ed. Holder.

namque ait (sc. Pythagoras) a terra ad lunam *τόνον* esse, a luna ad Mercurii circulum emitonion, indeque ad Veneris emitonion, a quo ad solem tria emito-

quae stilbon vocatur, dimidium eius, velut hemitonion; hinc ad phosphoron, quae est Veneris stella, fere tantundem, hoc est aliud hemitonion; inde porro ad Solem ter tantum, quasi tonum et dimidium . . . a Sole vero ad stellam Martis, cui nomen est pyrois, tantundem intervalli esse quantum a Terra ad Lunam, idque facere tonon; hinc ad Iovis stellam, quae phaethon appellatur, dimidium eius, quod faciat hemitonion; tantundem a Iove ad Saturni stellam, cui phaenon nomen est, id est aliud hemitonion; inde ad summum caelum, ubi signa sunt, perinde hemitonion: itaque a caelo summo ad Solem diastema esse dia tessaron, id est duorum tonorum et dimidii, ad Terrae autem summitatem ab eodem caelo tonos sex, in quibus sit diapason symphonia.

nia; a Solis autem orbe ad circulum Martium tonon esse, a quo ad Iovem emitonion, indeque ad Saturni emitonion, a quo ad Signiferum circulum similiter emitonion: ita fieri, ut sex tonis caelum distet a terra, duodecim scilicet emitoniis, fierique his traditas symphonias. namque a Terra ad Solis circulum diatessaron reboat symphonia, a Solis vero ad zodiacum diapente.

cum Favonius ceteris quòque in rebus Varronem, quem ipse nominat (p. 12, 2 ed. Holder), expresserit, id quod Carolus Fries[1]) demonstravit, non dubitamus, quin hic quoque, cum idem doceat atque Censorinus, vestigia illius viri immortalis Reatini premat. quamquam Favo-

[1]) De M. Varrone a Favonio Eulogio expresso, Rhein. Mus. LVIII (1903) p. 115 sqq.

nium quoque ex Varrone ipso hausisse, id quod C. Fries existimavit, non opinor. veri similius mihi videtur esse Favonium doctrinam Varronianam ab altero auctore, quem Chalcidius quoque, Platonis Timaei interpres, exscripsit,[1]) accepisse. ceterum Favonius quoque errore est ductus, cum scriberet a Saturno ad signiferum esse hemitonion. sed huius erroris postea rationem non habuit, cum recte diceret a Terra ad Solem diatessaron reboare symphoniam, a Sole vero ad Signiferum diapente.

revertamur post haec deverticula ad Censorinum. non est, quod miremur virum curiosum hoc caput 13 ipsum in libellum fautori litterarum studioso destinatum recepisse, quamvis laxo vinculo cum ceteris coniungeretur. quamquam nescimus, utrum Censorinus, qui illo tempore vixit, quo Pythagoreorum schola renascebatur, doctrinam sublimem[2]), qua tam pulchre vis naturae legibus constituta est expressa, ipse professus sit necne, nonne iam ipsa sublimitate doctrinae erit commotus, ut eam hic proferret? ceterum pro certo habemus eum a Varrone, quem hanc doctrinam in musica quoque, qua Censorinum in capitibus antecedentibus esse usum nunc demonstrabimus, attigisse veri est simillimum, ad hoc caput esse revocatum.

Etiam in c. 12 doctrinam Varronianam esse servatam iam E. Holzer et A. Hahn demonstraverunt. ille vir doctus[3]) Censorini verba: 'non tibicinibus, per quos nu-

---

[1]) F. Skutsch (Philolog. N. F. XV 1902 p. 196 sqq.) primus vidit concentum memorabilem inter Favonium et Chalcidium intercedere.

[2]) mentione dignum est Goetheum nostratem hanc sententiam in tragoediam suam, cui nomen est Faust, recepisse illis versibus, quibus nihil comparari potest:

Die Sonne tönt, nach alter Weise,
In Brudersphären Wettgesang
Und ihre vorgeschriebne Reise
Vollendet sie mit Donnergang e. q. s.

[3]) l. c. p. 7.

mina placantur, esset permissum aut ludos publice facere ac vesci in Capitolio, aut Quinquatribus minusculis, id est idibus Iuniis, urbem vestitu quo vellent personatis temulentisque pervagari' affert, cum interroget: 'wer merkt in diesem Argument und dem Exempel nicht die gut spezifisch-römische Quelle heraus?' idem Holzer monet Varronem de lingua latina VII 17 commemorare tibicines Quinquatribus feriatos per urbem vagari. porro Holzer animadvertit in fragmento Varronis saturae Menippeae, cui nomen erat Quinquatrus, eundem Herophilum nobis occurrere, qui a Censorino 12, 4 citetur. praeterea Holzer fragmenta saturae Menippeae, cui nomen est *ὄνος λύρας*, affert, cum doceat hic nobis easdem de musica sententias offerri atque a Censorino et aliis. A. Hahn [1]) eum secutus huius saturae fragmenta XV (362 Buech.),[2]) quo rem musicam hominibus esse innatam doceamur, et XVIII (365 Buech.),[3]) quo, quanta vi res musica apud homines utatur, exponitur, nos conferre cum Censorini c. 12 iubet. denique vero, quod gravius est, Holzer concentum apertissimum, qui inter Martiani Capellae l. IX 923—929 et Censorinum intercedit, detegit dicens:[4]) 'Wie dieser (sc. Censorinus), so zitiert unsere Quelle (sc. Martianus Capella) den Aristoxenus, den Pythagoras und den Theophrast; wie dieser, führt unsere Quelle die Beispiele des Asclepiades und Herophilus an. Der Gedankengang ist trotz des Unterschiedes des Umfangs der beiden Stellen ein so analoger, nur daß bei Censorin alles viel kürzer, beiläufiger, gedrängter gegeben wird, daß man auf den gleichen Autor raten muß.' hunc vero auctorem (sc. Varronem) a Martiano

---

1) l. c. p. 15.

2) 'primum eam esse physicen, quod sit *ἔμφυτος* ut ipsa vox basis eius.'

3) 'saepe totius theatri tibiis crebro flectendo commutari mentes, erigi animos eorum.'

4) l. c. p. 11.

Capella IX 928[1]) citari monet idem Holzer. quae cum ita sint, dubium non est, quin in c. 12 iterum nobis res sit cum doctrina illius viri doctissimi. et nova quaestio oritur, cui libro Varronis hoc caput sit vindicandum. Holzer et Hahn putaverunt hoc caput quondam in Varronis Tuberone, quem Censorinus in c. 11 compilavit, scriptum fuisse. qua in re duo viri docti erravisse mihi videntur. nam c. 12 a Censorino ipso, qui quam plurimam doctrinam coniungebat, hic esse insertum primo aspectu cognoscimus. bis, capite ineunte et exeunte, praedicat Censorinus musicae rem esse cum natalibus. ita caput interpositum optime significatur, id quod praetereundum non est. sed Censorinum hoc caput e Varronis Disciplinarum libro, qui erat de musica, sumpsisse iam ideo veri est simillimum, quod c. 13 ex eisdem Disciplinis esse haustum vidimus. accedit, quod c. 12 cum Martiano Capella IX 923—929 plane congruit, quem ex Varronis disciplinis hausisse notum est. denique haec sententia etiam eo comprobatur, quod c. 10, quocum c. 12 argumenti affinitate artissima continetur, de eodem fonte depromptum est, id quod nunc demonstrare in animo habemus.

Hoc caput 10 Varronianum esse primi H. Deiters et E. Holzer, quos etiam A. Hahn est secutus, cognoverunt. Deiters[2]) vidit nobis eandem musicae definitionem, quam Censorinus hic profert ('musica est scientia bene modulandi') apud Augustinum de mus. I 2, Martianum Capellam IX 930, Cassiodorium l. c. c. V occurrere. ideo veri esse simillimum hos scriptores eam ex auctore communi, cui omnes adstipulati essent (sc. ex Varrone), hausisse. porro idem vir doctus animadvertit Censorinum pariter atque Martianum Capellam IX 930—935 in symphoniis simpli-

---

[1]) 'in Lydia Nympharum insulas dici, quas etiam recentior adserentium Varro se vidisse testatur, quae in medium stagnum a continenti procedentes cantu tibiarum primo in circulum motae, dehinc ad litora revertuntur.'

[2]) l. c. p. 5 et 6.

cibus et primis solis describendis versari, cum uterque reliquas omnes omittat. itaque dubium non est, quin Censorinus in hoc quoque capite doctrinam Varronianam praebeat, et rursus quaestio altera nascitur, num hoc c. 10 in Tuberone quondam exstiterit. H. Dielesius, E. Holzer, A. Hahn hoc sumpserunt, Holzer quidem non sine aliqua dubitatione[1]: 'Man kann höchstens über den Umfang des Fragments streiten (Popma p. 289 läßt es nur bis *symphoniae vocantur* gehen), hauptsächlich darüber, ob das Einschiebsel cap. 10 (das als Einschiebsel praediciert ist: in. 11 *His expositis — redeo ad propositum*) auch aus dem Tubero ist oder anderswoher (z. B. aus den *disciplinae* des gleichen Autors?). Ich glaube dass Varro selbst im Tubero diese Belehrung einschob, natürlich übereinstimmend und gewiß oft genug wörtlich übereinstimmend mit dem, was er in seinen *disciplinarum libri* gesagt hat.' qui a vero non procul afuisse mihi videtur. quid est regulis musicae cum origine humana, de qua in Tuberone est disceptatum? accuratius c. 10 videamus. quam pueriliter Censorinus doctrinam, quam a Varrone est mutuatus, annectere conetur, ex his verbis apparet: 'sed haec quo sint intellectu apertiora, prius aliqua de musicae regulis huic loco necessaria dicentur, eo quidem magis, quod ea dicam quae ipsis musicis ignota sunt.' profecto ut c. 9 intellegamus, non nobis opus est legere caput 10. praeterea pro certo habemus sententiae partem posteriorem ('eo quidem — ignota sunt') non Varronis tempori, quo litterae et artes Romae florebant, sed cadenti saeculo Censorini convenire, unde sequitur, ut haec verba, quibus capita 9 et 10 sunt conglutinata, a Censorino, non a Varrone sint facta et Censorinus Tuberonem non capitulatim exscripserit. maiorem vero argumenti vim rursum verbis quibusdam Cassiodori l. c. c. V tribuimus, quibus haec sententia comprobari nobis videtur (p. 1208 Migne): 'in-

---

[1] l. c. p. 8 adn. 8.

venimus etiam Censorinum, qui ad Q. Cerellium scripsit de die eius natali, ubi de musica disciplina vel de alia parte mathesis non neglegenda disseruit.' verba *musica disciplina* indicare mihi videntur Cassiodorium vidisse Censorinum e Varronis *disciplinarum* libro *de musica* c. 10 et c. 12 hausisse. verbis 'de alia parte mathesis non neglegenda' haud scio an caput 13 intellexerit, quod e Varronis Disciplinarum libro de geometria esse sumptum idem Cassiodorius nos docuit.

Quibus rebus cognitis cum pro explorato habeamus c. 13. 12. 10 e Varronis disciplinis esse hausta, verba quoque c. 7, 1: 'quod quaedam necesse est de astrologia musicaque et arithmetica attingere' recte interpretabimur. Censorinus hic nobis indicat se in animo habere sequentibus capitibus quaedam de astrologia musicaque et arithmetica interponere. verba *musicaque et arithmetica* ad c. 10. 12. 13, quae e Varronis Disciplinis originem ducere demonstravimus, pertinere manifestum est. verbum autem *astrologia* ad caput 8 spectare non minus certum est. quae cum ita sint, nonne est veri simillimum c. 8 interpositum de eodem fonte esse sumptum atque c. 10. 12. 13? H. Dielesius, P. Weber, A. Hahn putaverunt hoc caput 8 Tuberoni esse vindicandum ea maxime de causa, quod c. 8 argumento huius logistorici convenire videtur. sed iam M. Schanz[1]) hoc iure improbavit his fere verbis: 'der Tubero wird c. 9, 1 so eingeführt, daß man annehmen muß, der Autor bezeichne das Auftreten einer neuen Quelle.' si sumimus c. 8 originem ducere e Varronis Disciplinis pariter atque c. 10. 12. 13, haec difficultas tollitur. sane dubitationem quandam, qua P. Weber quoque est commotus, ut c. 8 Tuberoni attribueret, affert, quod c. 11, 9, quod e Tuberone esse sumptum omnes viri docti consentiunt, ad c. 8 referri videtur. tamen facile tibi persuadeas hanc relationem Censorini esse, non Varronis. ne-

---

[1]) Hist. litt. Rom. III² p. 232.

que enim neges illum tetragonum Chaldaeorum conspectum c. 11, 9 pluribus verbis explicari, ut a nobis recte intellegatur, etiamsi caput 8 non legamus. quamquam est concedendum etiam in Tuberone illam doctrinam Chaldaeorum facile proferri potuisse sicuti in libro de astrologia. tamen certe in astrologia Varronem de stellarum in hominum vitas potentia egisse cum intellegitur ex nomine libri ipsius tum e Cassiodorio Senatore non temere concludere mihi videor, qui haec scripsit[1]: 'in ipsis quippe primordiis opinabilem illam astronomiae posuit disciplinam, quam saeculi doctores minutissime perquirentes ita definiendam esse putaverunt: astronomia est disciplina, quae cursus caelestium siderum et figuras contemplatur omnes et habitudines stellarum circa se et circa terram indagabili ratione percurrit. cuius operatione sollemni annum quadrifaria temporum divisionem compleri. hinc imbres fieri, hinc perhibent terrena procreari, hinc frigora venire, hinc aeris aiunt esse temperiem et quidquid terris necessarium probatur, iussione Domini earum ministerio posse suppleri. quam scientiam veteres nostri non adeo refugiendam esse dixerunt, quamdiu tamen esse cognoscitur disciplina et motus astrorum naturali sollemnitate perquirit. at ubi se in astrologiae partem labilis error infuderit et vitas mortalium de cursu stellarum putaverit colligendas, tunc abominandi, tunc potius caeci sunt, cum se aestimant praevidere quae Creator nobis utiliter decrevit abscondere. planetas etiam dicunt contra polum currere per certissimos meatus. fabricam quoque caeli, quae semper rotabili mobilitate se sustinet, habere quamdam harmoniae delectationem, quae suavis et iugis est. sed nos obsequia naturalium rerum ad auctoris referamus imperium, qui creaturas suas ipsa potentia sibi parere iubet qua fecit existere.' ego quidem pro certo habeo Cassiodorium doctores saeculi Pythagoram, Eratosthenem, Archimedem intellexisse, eum

[1]) expositio in Psalm. 148, Migne LXX 2 p. 1047.

autem, qui in errorem astrologiae incidit quemque hic insectatur, Varronem, cuius Disciplinarum librum de astrologia Cassiodorius legerat.

ex his omnibus causis nobis non dubium est, quin caput 8 Censorini e libro de astrologia sit sumptum. unde sequitur, ut Ausonius quoque ecloga 8, cum eum a Censorino non pendere supra demonstraverimus, eundem librum de astrologia expresserit. neque dubito conicere Ausonium etiam alios, fortasse omnes libros Disciplinarum possedisse. vestigium lectionis etiam alius libri praeter astrologiam invenisse mihi videor in griph. tern. num. v. 18 (p. 201 P.): 'tergemina est Hecate tria virginis ora Dianae, tris Charites, tria Fata.' quae cum comparemus cum Martian. Capell. VII 733: 'denique Fata Gratiarumque germanitas et quaedam virgo, quam dicunt 'caeloque ereboque potentem'', ego quidem negem casu evenisse, ut duo scriptores easdem tres triadas iuxta posuerint, immo veri simillimum videtur esse Ausonium de eodem fonte, quem Martianus Capella in l. VII compilavit,[1]) dico Varronis Disciplinarum librum de arithmetica, has tres triadas deprompsisse. sed dixerit quispiam Ausonium hic a Varronis opere de principiis numerorum, cui multa communia erant cum libro ipso de arithmetica,[2]) pendere posse, praesertim cum poeta in praefatione griphi (p. 199, 51 P.) *Varronis numeros* ipse citet inter eos libros, quos sciens neglexerit, qua re minime vetamur arbitrari eum exemplum aliquod ternarii numeri inde in suum ludum assumpsisse. sed minime pro certo habemus poetam verbis *Varronis numeros* illud opus de principiis numerorum indicare voluisse. eodem iure facile conicias eum numeros in libro de arithmetica enarratos significasse. ad hoc valde dubium est, num illa duo opera Varronis (sc. liber de arithmetica et libri de principiis numerorum) tam accurate inter se concinuerint, ut in utroque eaedem

---

[1]) cf. F. Eyssenhardt in edit. p. LIII.

[2]) cf. F. Ritschelii opusc. III p. 442.

tres triades deinceps fuerint compositae. Favonius Eulogius quidem (p. 4, 25 ed. Holder), quem ab opere de principiis numerorum pendere C. Fries l. c. coniecit, unam tantum triadem ex illis tribus prodidit. ceterum sententia M. Schmidtii[1]) est improbanda, qui dixit Ausonio in gripho numeri ternarii componendo Varronis hebdomadum librum I esse obversatum. in illo libro, id quod e Gellio III 10 apparet neque aliter intellegi potest, non de numero ternario, sed septenario est dictum, nisi forte in hoc libro numeri ternarii ut partis numeri septenarii obiter mentio est facta.

Sed si verum est, quod demonstravisse mihi videor, Ausonii eclogam 8 ad Varronis Disciplinarum librum de astrologia recedere, haec res haud scio an nobis certam quandam ansam praebeat ad fontem eclogarum 7 et 6 accuratius definiendum. supra vidimus in his duabus eclogis et ipsis doctrinam Varronianam offerri. cum vero traditione ipsa et argumenti affinitate cum ecloga 8 coniungantur, nonne veri est simile eas quoque nihil aliud esse nisi versificationes quarundam partium Varronis astrologiae vel astronomiae? sane reputandum est rem etiam aliter sese habere posse: facile enim conicias non Varronem ipsum, sed Suetonium, quem in multis operibus suis Varronis eruditionem sibi propriam fecisse eamque sermonis elegantia faciliorem ad intellegendum posteris tradidisse constat[2]), ut Varronis libri, qui ipso genere dicendi duriores erant, iam brevi oblivione obruerentur, fontem harum eclogarum fuisse, praesertim cum non solum illi versus de XII Caesaribus scripti ad Suetonium recedant, ut supra vidimus, sed etiam eclogae sequentes doctrinam Suetonianam prodant, id quod in proxima parte huius dissertationis demonstrare in animo habemus. tamen puto Ausonium doctrinam in his tribus eclogis prolatam non e Suetonio, sed e Varrone ipso deprompsisse, cum haec

[1]) Rhein. Mus. vol. XX (1865) p. 298 sq. = Ritschelii opusc. III p. 59
[2]) cf. A. Reifferscheid, Suetoni reliquiae p. 475.

doctrina, ut ita dicam, nimis Varroniana esse videatur. hoc eo magis credimus, cum sciamus etiam alia opera Varronis in manibus Ausonii fuisse. eum Hebdomadas et Numeros habuisse iam supra vidimus. sed etiam Varronis de lingua latina libri Ausonio innotuisse videntur, cum verbum *Lucas boves* in epist. XI 12 (p. 237 P.) pro elephantibus adhibeat, cuius verbi originem Varro de lingua latina VII 39 illustrat. itemqne veri est simile poetam, qui in ep. XVIII 12 sq. (p. 255 P.) *anates remipedes* dicit, Varronis saturam Menippeam Sexagesis, in qua Varronem verbis *anates remipedes* esse usum Nonius p. 460, 8 testatur, legisse. sed dubium nobis videtur esse, num poeta illas duas sententias in technopaegn. VI 1 sq. (p. 159 P.) prolatas:

Indicat in pueris septennia prima novus dens,
Pubentes annos robustior anticipat vox

ex Varrone ipso assumpserit. Varronem quidem utramque sententiam exhibuisse testis est Censorinus de die natali 7, 2[1]) et 14, 7,[2]) quibus in capitibus eum ex Varronis Tuberone pendere constat.[3]) sed sententiae nimis vulgares communesque esse mihi videntur, quam ut ex eis cum aliqua probabilitate colligi possit Ausonium Tuberonem habuisse. Gellius III 10, 12[4]) nos docet Varronem etiam in primo Imaginum libro illam priorem sententiam protulisse. potuit igitur Ausonius eam etiam ex hoc opere Varronis depromere, quod in eius manibus fuisse certum est. posteriorem vero sententiam potuit mutuari ex Plinii N. H. XI 270,[5]) cuius volumina Ausonio a Symmacho esse missa sci-

---

[1]) 'siquidem . . . post septimum mensem dentes nobis innascantur idemque post septimum cadant annum, quarto decimo autem pubescere soleamus'.

[2]) 'tamen in secunda hebdomade vel incipiente tertia vocem crassiorem et inaequabilem fieri'.

[3]) cf. P. Weber l. c. p. 39 et 41 sq.

[4]) 'dentes . . . ait (Varro) . . cadere annis septimis'.

[5]) 'vox roboratur a XIIII annis'. veri simillimum videtur esse Ausonium hunc Plinii locum in altero versu componendo ante oculos habuisse, cum iisdem vel simillimis verbis atque Plinius (*vox robustior*) utatur et aliis

mus. neque vero scio an Ausonius etiam illam elegiam Solonis (fr. 27 Bergk), quae est de vita hominis in decem hebdomades dividenda neque minimum auctoritatis habuisse videtur apud multos Graecos et Romanos scriptores, imprimis apud philosophos et medicos,[1]) ipse legerit et in illis duobus versibus componendis viri sapientissimi Solonis elegiae versus primos:

παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων
φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἕπτ᾽ ἔτεσιν·
τοὺς δ᾽ ἑτέρους ὅτε δὴ τελέσῃ θεὸς ἕπτ᾽ ἐνιαυτούς,
ἥβης ἐκφαίνει σήματα γεινομένης

ante oculos habuerit. sed puto litteratum quemque hominem has duas sententias de suo proferre potuisse maximeque Ausonium, cuius pater medicus fuit.[2])

sed etiam nonnulla vocabula antiqua et obsoleta, quae H. de la Ville de Mirmont[3]) Varroniani usus propria esse statuit, in Ausonii opusculis dispersa leguntur. sunt autem haec: *caperrata* Auson. p. 198, 39 P. cf. Varro apud Non. 9, 2; *pavus* Auson. 269, 10. 340, 4 P. cf. Varro apud Gell. VI 16, 5; *penitus* Auson. p. 322 (XXXI 1) P. cf. Varro apud Non. 217, 16; *secus* Auson. p. 200, 8. 164, 26. 341, 6 P. cf. Varro apud Gell. III 10, 7. quibus quamvis nimiam vim tribuere nolim, tamen ex his omnibus indiciis elucet Ausonium libros Varronianos probe novisse.

quoque locis technopaegnii Plinii Naturalem Historiam respexerit (cf. C. Hosius l. c. p. 18 adn. 1).

[1]) cf. Hippocrates apud Philon. de mundi opific. 36 et apud Polluc. II 1, Hippon Metapontinus sive Samius apud Censorinum 7, 2 (Varronem exscribentem), Aristoteles Pol. VII 14, 11 et 15, 11; idem hist an. V 14, 2 et VII 1; idem rhet. II 14, Varro apud Gellium l. c., Plinius l. c. etiam Nicomachus Gerasenus p. 49, 5 sq. Ast et Macrobius in Somn. Scip. I 6, 70 sq., qui duo eandem doctrinam Dioclis Carystii et Stratonis Lampsaceni alter graece, alter latine tradunt, ad Solonis elegiam referendi videntur esse. vide W. H. Roscher, Die Hebdomadenlehren der griech. Philosophen u. Aerzte, Abhdl. der Sächs. Gesellschaft der Wissenschaften XXIV (1906) VI p. 14 sqq. 90 sqq. 150.

[2]) cf. praef. 1 v. 13 (p. 1 P.).

[3]) de Ausonii Mosella, Parisiis 1892 p. 148.

Caput III.

Iam ad eclogas sequentes nos convertimus, quae de anno eiusque partibus sunt et hos titulos praebent[1]): VIIII de nominibus septem dierum, X monosticha de mensibus, XI item disticha, XII de tribus menstruis mensuum, XIII quoteni dies sint mensuum singulorum, XIIII quo mense quotae nonae vel idus sint, XV quotae kalendae sint, XVI ratio dierum anni vertentis, XVII in quo mense quod signum sit ad cursum solis, XVIII a solstitio in aequinoctium ratio, XVIIII de mensibus et quattuor anni temporibus. has omnes eclogas, quae ex certa quadam dispositione de diebus, de mensibus, de anno vertente sunt, summa argumenti affinitate inter se esse coniunctas nemo infitiabitur. iam ideo veri est simile Ausonium praeterquam quod eum hic fastis temporis sui esse ductum consentaneum est, in eis componendis unum eundemque librum compilavisse; neque enim quisquam erit, qui putet poetam hos versus doctrina vetere refertos ipsum excogitasse. iam Augustus Reifferscheid[2]) cognovit eclogas VIIII et X e Suetoniano libro de anno Romanorum scripto fluxisse, cum, quae Isidorus Hispalensis de natura rerum libelli c. III 2 nobis tradidit, cum eclogis conferret, nec tamen in has eclogas omnes inquisivit; satis habuit hic quoque viam rectam indicasse. nos iuvat hanc quaestionem ab integro suscipere et, si fieri potest, ad finem perducere. primum igitur conferamus eclogam VIIII de nominibus septem dierum cum eis, quae Isidorus Hispalensis de na-

---

[1]) p. 97—103 P.

[2]) C. Suetoni Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiae, Lipsiae 1860, p. 297. 299. 475.

tura rerum libelli c. III 2 sq.[1]) et, quem non respexit Reifferscheid, Ioannes Laurentius Lydus in libro de mensibus II 4 sqq. docent:

Auson. ecl. VIIII (p. 97 Peiper)

Nomina, quae septem vertentibus apta diebus || Annus habet, totidem errantes fecere planetae. || Quos indefessa volvens vertigine mundus || Signorum obliqua iubet in statione vagari. || Primum supremumque diem radiatus habet Sol. || Proxima fraternae succedit Luna coronae. || Tertius adsequitur Titania lumina Mavors. || Mercurius quarti sibi vindicat astra diei. || Illustrant quintam Iovis aurea sidera zonam. || Sexta salutigerum sequitur Ve-

Isidor. de nat. rer. III 2 sq. (p. 9 Becker)

2. Apud Romanos autem hi dies a planetis — id est erraticis stellis — nomina ceperunt. Primum enim diem a sole vocatum dicimus, quia princeps est omnium siderum, sicut et idem dies capud est cunctorum dierum, secundum a luna, quae soli et splendore et magnitudine proxima est, et exinde mutuat lumen; tertium ab stella Martis, quae vesper vocatur; 3. quartum a stella Mercurii, quam quidam candidum circulum dicunt;

Io. Laur. Lyd. de mens. II 4 sqq. (p. 21 Wuensch).

Ὅτι οἱ περὶ Ζωροάστρην καὶ Ὑστάσπην Χαλδαῖοι καὶ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἀπλανήτων ἐν ἑβδομάδι τὰς ἡμέρας ἀνέλαβον. καὶ τὴν μὲν πρώτην ἡμέραν μίαν ἐκ τῆς μονάδος . . . ἀναφέρεται δὲ ἡ μονὰς εἰς Ἀπόλλωνα, τουτέστιν εἰς τὸν ἕνα Ἥλιον, ὃς Ἀπόλλων λέγεται διὰ τὸ ἄπωθεν εἶναι τῶν πολλῶν. καὶ Ῥωμαῖοι δὲ αὐτὸν Σόλεμ ἤτοι μόνον λέγουσι.

II 7 p. 23 *τὴν δὲ δευτέραν ἡμέραν τῇ Σελήνῃ φαίνονται οἱ φυσικοὶ ἀναγράφοντες.*

II 8 p. 25 *τὴν δὲ τρίτην ἡμέραν ἀνέ-*

[1]) eandem doctrinam Isidorus etiam in orgin. V 30, 5—7 praebet. de ratione inter libellum de natura rerum et origines intercedente cf. A. Schenk, de Isidori Hispalensis de natura rerum libelli fontibus, diss. Ienae 1909 p. 7 sqq.

nus alma parentem. ‖ Cuncta supergrediens Saturni septima lux est. ‖ Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

quintum a stella Iovis, quam phaethonta dicunt; sextum a Veneris stella, quam luciferum asserunt, quae inter omnia sidera plus lucis habet; septimum a stella Saturni, quae septimo caelo locata XXX annis fertur explere cursum suum.

θεντο Πυρόεντι. Αρης δ' ἂν εἴη οὗτος παρ' Ἕλλησι.

II 9 p. 28 *τὴν δὲ τετάρτην ἡμέραν Στίλβοντι, ἑνὶ τῶν πλανήτων κατ' Αἰγυπτίους οὕτω καλουμένῳ ἀνέθεντο.*

II 10 p. 30 *τὴν δὲ πέμπτην Φαέθοντι, τῷ πάντων πλανήτων εὐκρατοτάτῳ ἀνέθεντο.*

II 11 p. 31 *τὴν δὲ ἕκτην ἀναφέρουσι Φωσφόρῳ.*

II 12 p. 33 *τὴν ἑβδόμην ἡμέραν Αἰγύπτιοι μὲν καὶ Χαλδαῖοι προσφωνοῦσι Φαίνοντι, οὕτω κατ' αὐτοὺς προσαγορευομένῳ ἀστέρι τῶν πάντων ἀνωτάτῳ.*

Ausonium, Isidorum, Lydum, qui quidem de diebus excerpta plane cum doctrina Pythagoreorum commiscet, ad eundem auctorem ultimum recedere apparet, cum inter se apertissime concinant. sed iam quispiam mihi opponat, hunc concentum re ipsa explicari et vitari non potuisse. hoc praefracte nego, cum tres scriptores in singulis rebus accuratius conspirent: nonne Ausonius iam in v. 2 eandem etymologiam vocabuli *planetae* atque Isidorus indicare videtur, cum eas errantes dicat? porro Ausonius Solis diem supremum dicit, Isidorus Solem ipsum principem omnium siderum; nonne uterque idem intellegit? deinde uterque

Lunam soli *proximam* appellat. denique Ausonius *Iovis aurea sidera* dicit; nonne his verbis ad nomen Graecum, quod Isidorus tradit, alludit? atque easdem sententias etiam apud Ioannem invenimus, qui Iovem, quem Isidorus luciferum appellat, *Φωσφόρον* dicit, et pariter atque Ausonius et Isidorus Saturnum, cui septimus dies sit consecratus, inter omnia sidera longissime abesse a terra docet. quae cum ita sint, dubium non est, quin hi tres ad unum eundemque auctorem ultimum sint referendi. Suetonii autem librum de anno Romanorum fontem communem fuisse iam ideo veri est simile, quod, ut Fridericus Bluhme[1]) exposuit, Ioannis placita ad annum Romanorum pertinentia a Suetonio originem ducunt, et est facile ad credendum, quod septimanam apud Romanos ex aetate Augusti in usum venire coepisse et primo p. Chr. n. saeculo inveterasse scimus[2]). omnis vero dubitatio de fonte tollitur, si ad sequentes eclogas X et XI (p. 98 sq. P.), quibus etyma mensium et origines explicantur, accedimus. sed cum his eclogis nobis simul respicienda sunt nonnulla carmina Anthologiae quae dici solet latinae, quae similiter atque eclogae Ausonii ad fastos Romanos pertinent. imprimis carmen Anthol. lat. 665 (ed. Riese[2]) cum his duabus eclogis argumenti affinitate artissima est coniuncta, ut aut alter poeta ab altero pendere aut uterque eundem auctorem sequi videatur:

Auson ecl. X	carmen Anthol. lat. 665
Primus Romanas ordiris, *Iane* kalendas.	*Primus*, *Iane*, tibi sacratur nomine mensis,
Februa vicino mense Numa instituit.	Undique cui semper cuncta videre licet.
Martius antiqui primordia protulit anni.	Umbrarum est alter, quo mense putatur honore

[1]) De Ioannis Laurentii Lydi libris *περὶ μηνῶν* observationum capita duo, diss. Halis Saxonum 1906 p. 84 sqq.

[2]) cf. Boll apud Pauly-Wissowa s. v. hebdomas VII 2573 sq.

Fetiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Maiorum dictus patrum de nomine Maius.
Iunius aetatis proximus est titulo.
Nomine *Caesareo* Quintilem Iulius auget.
Augustus nomen Caesareum sequitur.
Autumnum, Pomona, tuum September opimat.
Triticeo October faenore ditat agros.
Sidera praecipitas pelago, intempeste November.
Tu genialem hiemem, feste December, agis.

ecloga XI.

Iane nove, primo qui das tua nomina mensi,
Iane bifrons, spectas tempora bina simul.
Post superum cultus vicino februa mense
Dat Numa cognatis *manibus* inferias.
Martius est generis Romani praesul et anni
Prima dabas Latiis tempora consulibus.
Pervia terra dato *Manibus* esse vagis.
Condita Mavortis magno sub nomine Roma
Non habet errorem: Romulus *auctor* erit.
Caesarae est Veneris mensis, quo floribus arva
Compta virent, avibus quo sonat omne nemus.
Hos sequitur laetus toto iam corpore Maius,
Mercurio et Maiae quem tribuisse iuvat.
Iunius ipse sui causam tibi nominis edit,
Praegravida attollens fertilitate sata.
Quam bene, Quintilis, mutasti nomen: honori
Caesareo, Iuli, te pia causa *dedit*.
Tu quoque Sextilis venerabilis omnibus annis
Numinis Augusti nomen in anno venis[1]).
Temporis autumni September, vincte racemis
†Velate iam[2]) numero nosceris ipse tuo.
Octobri laetus portat vindemitor uvas;

---

[1]) *nomine notus eris* Riese; *nomina magna geris* Baehrens; *nomen in ora venis* Buecheler.

[2]) 'tempor*a maturis*, September, vinct*a* racemis || *vela tegant*: numero nosceris ipse tuo' Riese.

Aeneadum genetrix vicino nomen Aprili
Das Venus: est Marti namque Aphrodita comes.
Maia dea an maior Maium te fecerit aetas,
Ambigo: sed mensi est *auctor* uterque bonus.
Iunius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Iuno sive iuventa *dedit.*
Inde Dionaeo praefulgens Iulius astro
Aestatis mediae tempora certa tenet.
Augustus sequitur cognatum a Caesare nomen,
Ordine sic anni proximus ut generis.
Nectuntur post hos numerumque ex ordine signant
September, *Bacchi munere* praela rigans,
Et qui sementis per tempora faenore *laetus*
October cupidi spem fovet agricolae,
Quique salo mergens sollemnia signa November
Praecipitat, caelo mox reditura suo.
Concludens numerum genialia festa December
Finit, ut a bruma mox novus annus eat.
Omnis ager *Bacchi munere* voce sonat.
Frondibus amissis repetunt sua frigora mensem,
Cum iuga Centaurus celsa retorquet eques.
Argumenta tibi, mensis, *concludo*, December,
Qui quemvis annum claudere (iure) potes.

videmus duos poetas non solum nobis easdem mensium etymologias tradere, sed etiam non raro iisdem verbis et sententiis uti. uterque orditur a verbis *Primus, Iane.* apud utrumque verbum *manibus* eodem versus loco invenimus. uterque in Augusto mense explicando adiectivo *Caesareus* utitur. uterque verba coniuncta *Bacchi munere* adhibet eaque eodem versus loco. ab utroque October *laetus* dicitur. denique uterque in Decembri explicando verbum *concludo* usurpat. hunc verborum concentum casu evenisse nemo putabit. atque cum Ausonii versus elegantiores et commodiores esse videantur, veri non est dissimile, poetam anonymum Ausonium esse imitatum. neque vero scio an hoc carmen etiam ab Ausonio ipso, qui se ipsum imitabatur, sit compositum. quod eo veri similius est, cum sciamus Ausonium de aliis quoque rebus iterum atque iterum versus fecisse[1]). neque scio an v. 18 *velate iam*, pro quo Riesius reposuit *vela tegant,* sit tenendum syllabaeque hae — ᴗ ᴗ — sint metiendae. quod mihi non abhorrere videtur ab Ausonio, qui multis aliis quoque locis prosodiae summam vim attulit[2]). qua ex re sequitur, ut hi versus anonymi, qui casu quodam in schedis quae dicuntur Peirescianis nobis sunt traditi[3]), non prius quam Ausonii versus sint compositi; et sententia Aemilii Baehrens videtur abicienda esse, qui dixit[4]) versus 'propter dictionis nitorem decoremque' tempori Augusteo esse attribuendos. cetera autem carmina Anthologiae latinae, quae ad menses pertinent, non tam arta affinitate cum eclogis Ausoni sunt coniuncta, cum alia mensium imagines describant, quae carmina inter ἐκφράσεις numeranda sunt, ut Anth. lat. c. 117 et 395, alia, menses secundum tempora et agriculturam distinguant ut Anth. lat. c. 673, nonnulla numerum dierum singulorum

---

[1]) cf. e. g. epigrammata de Rufo rhetore (p. 314 sq. P.)

[2]) cf. Fr. Marx apud Pauly-Wissowa II p. 2579.

[3]) cf. H. Schenkl, Festschrift für O. Benndorf p. 29 sqq.

[4]) P. L. M. I 204.

mensium numero litterarum in singulis versibus adhibitarum exprimant, ut Anth. lat. c. 394[1]). contra eclogae Ausonii X et XI et carmen Anth. lat. 665 plane diversa sunt et multam bonamque doctrinam prae se ferunt, cum etyma mensium et origines tradant. est cur quaeramus, quem ad fontem haec doctrina sit referenda. neque nos effugit Ausonium hic easdem explanationes mensium atque Macrobium, Censorinum, Solinum, quos tres e libro Suetoniano de anno Romanorum hausisse post Theodorum Mommsen et Augustum Reifferscheid G. Wissowa[2]) luculentissime demonstravit. conferamus Ausonium cum Macrobio[3]).

Auson. ecl. X et XI	Macrob. Sat. I 13, 3
Primus Romanas ordiris, Iane, kalendas. Iane nove, primo qui das tua nomina mensi, Iane bifrons, spectas tempora bina simul.	ac de duobus priorem Ianuarium nuncupavit (sc. Numa) primumque anni esse voluit, tamquam bicipitis dei mensem respicientem ac prospicientem transacti anni finem futurique principia,
Februa vicino mense Numa instituit. Post superum cultus vicino Februa mense Dat Numa cognatis manibus inferias.	secundum dicavit Februo deo, qui lustrationum potens dicitur. lustrari autem eo mense civitatem necesse erat, quo statuit, ut iusta dis Manibus solverentur.

---

[1]) cf. Froehner, Mus. Rhenan. XLVII 1892 p. 300 sq.

[2]) De Macrobii Saturnaliorum fontibus cap. tria, diss. Vratislaviae 1880 p. 17 sqq. contra Wissowam Alfredum Hahn in diss. de Censorini fontibus (Ienae 1905) p. 17 sq. nihil profecisse Fr. Bluhme l. c. p. 89 sq. demonstravit.

[3]) omittimus Censorinum Solinumque etiam hic conferre et satis habemus hic Macrobium, quippe qui accuratissime doctrinam Suetonianam offerat, proponere, et cum Fr. Bluhme l. c. Lydum et Macrobium inter se comparaverit, Lydum quoque praeteribimus.

Martius antiqui primordia protulit anni.
Martius et generis Romani praesul et anni
Prima dabas Latiis tempora consulibus.

12, 3 sqq. non igitur mirum in hac varietate Romanos quoque olim auctore Romulo annum suum decem habuisse mensibus ordinatum, qui annus incipiebat a Martio . . . 5. haec fuit Romuli ordinatio, qui primum anni mensem genitori suo Marti dicavit: quem mensem anni primum fuisse vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso Quintilis quintus est, et deinceps pro numero nominabantur . . .

Fetiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Aeneadum genetrix vicino nomen Aprili
Das Venus: est Marti namque Aphrodita comes.

8. secundum mensem nominavit Aprilem, ut quidam putant, cum aspiratione quasi Aphrilem, a spuma quam Graeci *ἀφρὸν* vocant, unde orta Venus creditur. et hanc Romuli adserunt fuisse rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere nominaret, et hi potissimum anni principia servarent a quibus esset Romani nominis origo, cum hodieque in sacris Martem patrem Venerem genetricem vocemus.

Maiorum dictus patrum de nomine Maius.

Maium Romulus tertium posuit. de cuius nomine inter

Maia dea, an maior Maium te fecerit aetas,
Ambigo: sed mensi est auctor uterque bonus.

auctores lata dissensio. Fulvius Nobilior . . . Romulum dicit, postquam in maiores iunioresque divisit, ut altera pars consilio altera armis rem publicam tueretur, in honorem utriusque partis hunc Maium, sequentem Iunium mensem vocasse . . . Cingius mensem nominatum putat a Maia.

Iunius aetatis proximus est titulo.
Iunius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Iuno sive Iuventa dedit.

30. Iunius Maium sequitur, aut ex parte populi, ut supra diximus, nominatus aut, ut Cingius arbitratur, quod Iunonius apud Latinos ante vocitatus diuque apud Aricinos Praenestinosque hac appellatione in fastos relatus sit . . . nam et aedes Iunoni Monetae kalendis Iuniis dedicata est.

Nomine Caesareo Quintilem Iulius auget.
Inde Dionaeo praefulgens Iulius astro
Aestatis mediae tempora certa tenet.

34. sequitur Iulius qui, cum secundum Romuli ordinationem Martio anni tenente principium Quintilis a numero vocaretur, nihilo minus tamen etiam post praepositos a Numa Ianuarium ac Februarium retinuit nomen, cum non videretur iam quintus esse; sed postea in honorem Iulii Caesaris dictatoris legem ferente

M. Antonio M. filio consule appellatus est, quod hoc mense ad quartum Idus Quintilis Iulius procreatus sit.

Augustus nomen Caesareum sequitur.
Augustus sequitur cognatum a Caesare nomen,
Ordine sic anni proximus, ut generis.

Augustus deinde est, qui Sextilis antea vocabatur, donec honori Augusti daretur ex senatus consulto.

non miramur, quod Ausonius Ianuarium et Februarium reliquis mensibus praeposuit, quoniam versibus suis non tam historiam anni Romanorum exhibere quam annum temporis sui versibus memorialibus, quos scholae vitaeque conscripsit, explanare voluit. ceteroquin eum non solum easdem explicationes mensium, sed etiam easdem sententiarum varietates reddere iisdemque verbis uti videmus. uterque refert Ianuarium, Iani dei mensem, respicere et prospicere; deum, cui mensis erat consecratus, alter bifrontem, alter bicipitem nominat. apud utrumque legimus Februarium a Numa institutum dis Manibus sacrum fuisse; Martem olim primum mensem genitori populi Romani esse dicatum, Aprilem autem genetrici Veneri, quae ex spuma, quam Graeci ἀφρόν vocant, nata esse dicitur. Macrobius quidem etiam Varronis etymologiam commemorat, qui Aprilem Aperilem mensem intellexit, quo omnia aperiantur et germinent. uterque Mai mensis duo veriloquia tradit: alios eum a maioribus, alios a dea Maia derivavisse; atque etiam de mense Iunio eadem docent: mensem aut ab Iunone aut ab iunioribus nomen accepisse. deinde apud utrumque scriptum videmus Iulium in honorem C. Iulii Caesaris, Augustum in honorem Octaviani esse nominatos. denique uterque docet quattuor ultimos menses

a numeris esse appellatos ita quidem, ut Ausonius hanc explicationem quasi in tempore, sicuti res ipsa eum cogebat, proferat, cum Macrobius eam iam in Marte explanando praebeat. itaque, ne longus sim, dubium non est, quin Ausonius in his eclogis componendis eundem librum atque Macrobius adierit, Suetoni videlicet librum de anno Romanorum. neque vero complures alii scriptores sunt neglegendi, qui eadem vel similia mensium veriloquia memoriae prodiderunt, Augustinus, Servius Vergilii interpres, Placidus glossographus, Isidorus Hispalensis. et primum nobis erit dicendum, quae ratio inter eos ipsos intercedat, tum erit quaerendum, quatenus e Suetonio pendeant. sed ut ipse rationem meam examines, videas has tabulas:

Augustin. c. Faustum XVIII 5.

Sed et **mensibus imposuerunt nomina** deorum suorum. **Propter honorem** quippe **Romuli, quia eum Martis filium crediderunt,** primum mensem Marti dicantes Martium vocaverunt. Et inde **Aprilem a nullo dei sui nomine, sed a re ipsa quasi aperilem, quod tunc plurimum germinis aperiatur in florem. Inde tertium mensem Maium,** quod **Maiam Mercurii matrem deam colunt.** Inde quartum **Iunium a Iunone.** Inde ceteros usque ad Decembrem a numeris nominarunt. Sed ex eis Quintilis atque Sextilis nominibus hominum, quibus divinos honores decreverant, appellati sunt Iulius et Augustus, nam septimus September et ceteri, ut dixi, usque Decembrem numerorum ex ordine pronuntiantur. **Porro Ianuarius a Iano appellatus est, Februarius a Februis sacris Lupercorum.**

Serv. ad georg. I 43.

et sciendum est, decem tantum menses fuisse apud

Isidor. de nat. rer. IV 2sqq.

Antiqui autem gentiles **mensibus nomina** quaedam ex diis suis, quaedam ex causis, quaedam vero ex numero **inposuerunt** incipientes a Martio, quia ex ipso anni exorientis ordinem servaverunt. Hunc autem Martium **propter honorem Romuli** sic appellaverunt, **quia eum Martis filium** esse **crediderunt. Aprilem** vero **nullo deorum suorum nomine sed de re propria quasi aperilem** nominaverunt **eo, quod tunc germen plurimum aperiatur in florem;** 3. **inde mensem Maium pro Maia Mercurii matre, quam deam vocant,** sive propter maiores, deinde **Iunium a Iunone,** quam sororem vel coniugem Iovis fuisse testantur. *Alii* autem sicut *Maium pro maioribus*, ita *pro iunioribus Iunium* vocari dixerunt. Item Iulium a Iulio Caesare, Augustum vero ab Octaviano Augusto vocaverunt; nam prius Iulius Quintilis et Augustus Sextilis vocabantur, sed eorum nomina a Caesaribus Iulio sive Augusto sunt com-

maiores. *Martium* autem anni *principium* habere voluerunt *propter Martem suae gentis auctorem.* Aprilis dictus est, quasi terras tepore aperiens; Maius a Maia; Iunius a Iunone, quamquam *alii a maioribus et iunioribus hos duos menses* velint esse nominatos: *nam antea populus Romanus in centurias iuniorum et seniorum divisus fuerat.* reliqui iam a numero nominabantur Quintilis, Sextilis, September, October, November, December. et hi erant tantum decem menses: duo vero propter rationem signorum anni intercalabantur, qui postea a Iano et *a Februo* nominati sunt. Februus autem est Ditis pater, *cui eo mense sacrificabatur.* Quintilis et Sextilis mutati sunt postea in honorem Iulii Caesaris et Augusti: unde sunt Iulius et Augustus. mutata. 4. Iam September eo quod septimus sit a Martio, qui est principium veris. Simili quoque ordine October et November et December ex numero imbrium adque veris acceperunt vocabulum. **Porro Ianuarium ex** nomine **Iani** vocaverunt, sed specialiter Ianuarius **appellatur,** eo quod ianua sit anni adque *principium.* **Februarium autem a Februis sacris Lupercorum appellaverunt.** Itaque apud antiquos Latinos decem mensibus cursus anni computabatur. Sed Romanis Ianuarium et Februarium Numa Pompilius addidit adque ita in XII menses annum distinxit.

Isidor. origin. V 33, 3 11.

Ianuarius mensis a Iano dictus, cuius fuit a gentilibus consecratus; vel *quia limes et ianua sit anni.* Unde et bifrons idem Ianus pingitur, ut introitus anni et exitus demonstraretur. *Februarius nuncupatur a Februo, id est Plutone, cui eo mense sacrificabatur.* Nam Ianuarium diis superis, Februarium diis Manibus Romani consecraverunt. *Ergo Februarius a Februo, id est Plutone, non a febre,* id est aegritudine, nominatus. *Martius* appellatus *propter Martem Romanae gentis auctorem,* vel quod eo tempore cuncta animantia agantur ad marem et ad concumbendi voluptatem. Idem appellatur et mensis novorum, quia anni initium mensis est Martius. Idem et novum ver ab indiciis scilicet germinum, quia in eo viridantibus fructibus novis transactorum probatur occasus. Aprilis vero pro Venere dicitur, quasi Aphrodis; *Graece enim Ἀφροδίτη Venus dicitur, vel quia hoc*

Placidus glossographus[1]).

Ianuarius dicitur mensis ianodeo sacratus(consecratus G). Ianus (Ianuarius R) est enim princeps deorum quasi mundi vel caeli vel siderum vel mensium ianua (Ianus autem R). qui est et (om. R) bifrons et quadrifrons, bifrons qui et orientem et occidentem teneat et praeterita vel futura cognoscat, quadrifrons propter quattuor (om.R) elementa vel tempora vel cardines mundi. hunc quidam Iovem quidam Solem esse crediderunt, *quia limes et ianua sit* (*sunt* R) *anni.* Februarius mensis a Februo id est Plutone, quia Ianuarium diis superis, Februarium diis manibus consecraverunt (ita Isid. V 33, 3, *cum* ××× *car* R). *ergo Februarius a deo Februo id est Plutone* mensis *Februarius dictus est, non a* (ita Isid., *natura* R) *febre.* Martius Martis, Aprilis Veneris, *quasi aproilis* (*aperilis* G), quia *graece Ἀφροδίτη Venus dicitur,* quod ex maris spuma dicatur esse progenita. *ἀφρὸς*

[1]) ex codicibus Romanis et Libro Glossarum reconcinnatus a Georgio Goetz Corp. Gloss. lat. VI p. 535.

mense omnia aperiuntur **in florem**, *quasi Aperilis. Maius dictus a Maia matre Mercurii; vel a maioribus natu, qui erant principes rei publicae. Nam hunc mensem maioribus, sequentem vero minoribus Romani consecraverunt. Unde et Iunius dicitur. Antea enim populus in centurias seniorum et iuniorum divisus erat.* Iulius vero et Augustus de honoribus hominum, Iulii et Augusti Caesarum, nuncupati sunt. Nam prius Quintilis et Sextilis vocabantur: Quintilis, quia quintus erat a Martio, quem principem anni testantur esse Romani; Sextilis similiter, quod sextus. *September* nomen habet *a numero* et imbre *quia septimus est* a Martio et imbres habet. Sic et October, November atque December ex numero et imbribus acceperunt vocabula; quem numerum decurrentem December finit, pro eo quod denarius numerus praecedentes numeros claudit.

enim graece spuma est. vel Aprilis ideo, *quia hoc mense terrae omnis aperitur* (*terra omnis aperitur in* G) fructus. *Maius a Maia, matre Mercurii, vel a maioribus, qui erant principes rei publicae. nam unum mensem maioribus, sequentem antiqui iunioribus consecrarunt. unde et Iunius dicitur.* Iulius in honorem C. Iulii Caesaris imperatoris Romani, Augustus in honorem Augusti simili modo imperatoris Romani, qui Caesari successit. *September a numero, quia septimus est*: sic etiam October, quia octavus est. similiter et November, quia nonus est, et ita December, quia decimus est mensis.

Isidorum, qui et in originibus et in libello de natura rerum mensium veriloquia nobis prodidit, hoc loco cum Augustino in explicationibus singulis, imprimis in nominibus Ianuarii, Februarii, Martis, Aprilis explanandis adeo conspirare videmus, ut eum ab Augustino, quo multis aliis quoque locis libelli de natura rerum est usus, pendere certum sit:[1]) hic A. Schmekel,[2]) qui nuperrime hos locos inter se comparavit, vehementer errare mihi videtur dicens Augustinum et Isidorum hic eundem fontem adiisse, cum episcopus Hispalensis uberiorem doctrinam proferat atque Augustinus. nam quo modo fieri potuisse putas, ut uterque scriptor adeo ad verba fontem communem exscriberet? sed quae apud Isidorum plura invenimus, ab eo ipso esse adiecta optimo iure dicemus, praesertim cum maximam partem vilissima additamenta sint. quod uno loco maxime perspicuum est, dico locum, quo Iulium et Augustum menses explanat. hic enim primum docet Romanos Iulium a Iulio Caesare, Augustum ab Octaviano Augusto vocavisse; nam antea Iulium Quintilem et Augustum Sextilem esse vocatos. tum iterum explicat mensium nomina a Caesaribus Iulio et Augusto esse commutata. talem iterationem Isidoro fontes compilanti esse attribuendam omnes credo mihi concedent. sed manifestum est episcopum Hispalensem, qui uberiorem doctrinam quam ille pater ecclesiae cum de natura rerum IV 2 sqq. tum origin. V 33, 3—11 nobis praebet, etiam alterum fontem vel plures adhibuisse. fontem eius Suetonium ipsum fuisse Gustavus Becker[3]) et Augustus Reifferscheid[4]), quos est secutus A. Schmekel, coniecerunt nec tamen satis accurate rem examinaverunt. immo potius Isidorum e deterioribus fon-

---

[1]) cf. A. Schenk l. c. p. 31.

[2]) Die positive Philosophie in ihrer geschichtl. Entwicklung, II Isidorus von Sevilla, sein System u. seine Quellen p. 136 sq.

[3]) in edit. Isidori Hisp. de Natura Rerum libri (Berolini 1857) p. XXII.

[4]) l. c. p. 435

tibus i. e. maxime e glossographis et commentariis doctrina vetere refertis totam fere doctrinam suam accepisse et tamquam in opere musivo concinnavisse ex his tabulis elucet. nam ut de nat. rer. c. IV 2 sqq. episcopus praecipue Augustinum adhibuit, ita origin. V 33, 3—11 cum Servio tum Placido glossographo[1]) eum esse usum apparet, cum ad verba cum eis concinat. si Suetonii librum annum Romanorum enarrantem ipsum ante oculos habuisset, non tam diverse duobus locis mensium explicationes exscripsisset neque modo hunc modo illum scriptorem adhibuisset. itaque sententia eorum, qui Isidorum hic Suetonium ipsum compilasse arbitrati sunt, procul abicienda est. atque hoc unum tantum deliberari potest, utrum haec doctrina, quam Isidorus a Servio, Placido, aliis est mutuatus, ad Suetonium auctorem ultimum recedat necne. Servium quidem Suetonii librum annum Romanorum enarrantem adhibuisse non negabimus, cum veri sit simile Vergilii interpretem alios quoque libros Suetonii ut librum, cui nomen erat *περὶ ἐπισήμων πορνῶν*,[2]) habuisse. quamquam est concedendum Servium illa mensium veriloquia nimis in angustum contracta ex alio nescio quo de illis multis scriptoribus, qui de anno Romanorum disseruerunt, excerpere potuisse. atque idem fere de Augustino iudicabimus. veri simile esse mihi videtur, illum patrem ecclesiae doctissimum, quem virum maximae lectionis fuisse constat, hic omnino non certum quendam auctorem excerpsisse, sed hanc doctrinam de suo protulisse. sed in Placido glossographo frustula doctrinae Suetonianae inesse pro certo habeo, cum eum

[1]) ceterum Placido, quem sexto p. Chr. n. saeculo vixisse veri est simile (cf. G. Goetz apud Pauly-Wissowa VII p. 1442), Isidorus permultum debere videtur. in differentiarum verborum c. 99 Placidum ab episcopo citari P. Wessner (Berl. philol. Wochenschr. 1910 p. 818) monet. idem vir doctissimus indicat Placidum Corp. Gloss. lat. V 87, 13 nobis eandem diei dispositionem offerre atque Isidor. de nat. rer. II 2. 3, Isidorum igitur etiam hic glossographum adiisse, et in origin. V 31, 4—14 praeter hunc Serv. ap Aen. III 587 adhibuisse.

[2]) cf. A. Reifferscheid l. c. p. 466.

eadem veriloquia mensium easdemque varietates atque Macrobium et Ausonium tradere videamus. sane eum Suetonium ipsum consuluisse negabimus, cum doctrina eius nimis exilis ac fuscata videatur. quae cum ita sint, quis pro certo affirmet Isidorum de nat. rer. IV 2 sqq., quibus in paragraphis eum totum fere ab Augustino pendere vidimus, doctrinam Suetonianam ipsam praebere? sed cum episcopus de nat. rer. c. III 2. 3 frustula doctrinae Suetonianae servavisse nobis sit visus, non alienum esse puto examinare, num etiam in ceteris capitibus huius libelli, quae ad tempora pertinent, vestigia doctrinae Suetonianae appareant, praesertim cum A. Schenk, qui nuper de Suetonio Isidori auctore disseruit[1]), dixerit unum tantum huius libelli partis locum iure Tranquillo tribui. Isidori enim dierum fastorum definitionem c. I 4 a Suetonio esse repetendam ex Priscian. VIII 20 intellegitur, qui eandem definitionem e Suetonii Pratorum octavo libro refert. videas hos locos inter se congruentes:

Isidor. de nat. rer. I 4.	Priscian. inst. VIII 20 (G. L. II p. 387 K.)
Fasti dies sunt, quibus ius fatur, id est dicitur, ut nefasti, quibus non dicitur.	Suetonius in VIII Pra[e]torum: fasti dies sunt, quibus ius fatur, id est dicitur, ut nefasti, quibus non dicitur.

sed de nat. rer. c. II 2 quoque Suetonianum esse, ubi Isidorum Placidum glossographum ad verba descripsisse P. Wessner l. c. monuit, G. Wissowa l. c. p. 31 luculentissime demonstravit, cum Isidorum cum Macrob. Sat. I 3, 12 sqq. et Censorin. de d. n. 24 conferret. vir doctissimus optime docet in Isidoro foedas depravationes solas nobis esse detrahendas, ut Isidorum ad eundem auctorem recedere cognoscamus, quem Censorinus et Macrobius compilaverunt.

---

[1]) l. c. p. 65 sqq.

ceterum etiam quartus scriptor est nominandus, qui eandem noctis divisionem Suetonianam praebet, Servii ampliator ad Aen. III 87. unum tantum apud hunc desideramus diluculum, quod post conticinium erat afferendum. haud scio an id neglegentia librarii sit omissum. deinde c. III 2. 3 Isidorum eiusdem auctoris docti vestigia premere luce clarius est, cum hic episcopum Hispalensem plane cum Auson. ecl. VIII et Lyd. de mens. II 4 sqq. conspirare iam supra viderimus, quem utrumque doctrinam Suetonianam praebere certum est. c. IV 2. 3. 4 Isidorum praecipue Augustinum exscripsisse vidimus. doctrinam c. V, quod est de concordia mensium, nimis decurtatam esse iam A. Reifferscheid[1]) docuit. nam quamvis Isidorus dicat menses in horarum mensura inter se concordare, tamen horarum mensuram accuratius exponere supersedit. hic nobis Palladius, rei rusticae scriptor, auxilio venit, qui in librorum finibus (II 23. III 34. IV 16. V 9. VI 18. VII 13) horarum mensuram mensium concordantium accurate descripsit. sed cum Palladius cum Isidoro in verbis singulis plane consentiat (ut in verbis *concordare, consentire, respondere, aequare*), Reifferscheidius non temere coniecisse mihi videtur utrumque scriptorem ad unum eundemque scriptorem recedere. hunc autem Suetonium fuisse veri non dissimile esse puto, cuius doctrinae episcopum iam saepius in his capitibus frustula praebere viderimus. porro in c. VI quoque, quo de annis agitur, iterum Suetonianae doctrinae reliquias, quamvis corruptae sint, latere Reifferscheidius[2]) demonstravit, cum simul errores, in quos hic episcopus incidit, detegeret. capitis VII priorem partem ex Ambros. Exaemeri IV 5, 21 esse sumptam Isidorus ipse aperte dicit iam in altera parte, quae est de spatiis veris, aestatis, autumni, hiemis, doctrinam Suetonianam superesse coniecit A. Reifferscheid[3]). sed rem non ita sese habere ex

---

[1]) l. c. p. 433 et 168 sq.
[2]) l. c. p. 430.
[3]) l. c. p. 433.

Ausonio apparet, qui, si quid video, in ecloga XVI Suetonium secutus quattuor anni temporibus spatia ab Isidori ratione longe diversa statuit. denique doctrinam c. VIII 1 ex Serv. ad Vergil. Georg. I 100 sumi potuisse manifestum est. sed Servium hanc doctrinam Suetonio debere veri est non dissimile, cum Vergilii interpres alio quoque loco ex libro Suetoniano pendere nobis sit visus. et Suetonium in libro annum Romanorum enarrante de solstitio et aequinoctio verba fecisse et per se veri est simile et infra ex Ausonii ecloga XVIII apparebit. solstitii et aequinoctii etymologias, quas Isidorus c. VIII 2 profert, Varronianas esse ex Varr. de l. l. VI 8 intellegitur. has quoque facile ab Suetonio, altero illo Varrone, per alios scriptores medios Isidoro tradi potuisse quis est qui neget? apparet igitur, ut summam huius quaestionis faciamus, Isidorum in his capitibus complura frustula doctrinae Suetonianae quamvis attenuata et corrupta servavisse eaque non ex Suetonio ipso, sed ex altera demum manu vel tertia accepisse.

Quibus expeditis revertamur ad Ausonium. in ecl. XII grammaticus Burdigalensis de Kalendis, Idibus, Nonis, ex quibus singuli dies Romani erant computandi, verba facit. hic quoque Suetonii librum de anno Romanorum fontem fuisse et ex necessitate, qua haec ecloga cum ceteris est coniuncta, cognoscitur et inde apparet, quod Macrob. Sat. I 15, 7. 13. 18 et Lyd. de mens. III 10, quem utrumque e Suetonio pendere satis constat, de eodem argumento idem disserere videmus.

Auson. ecl. XII	Macrob. Sat. I 15.	Lyd. de mens. III10(p.46,13W.)
Bis senas anno reparat Lucina kalendas ‖ Et totidem medias dat currere Iuppiter	7. omnibus tamen mensibus ex die Nonarum Idus nono die repraesentari placuit. 13. unde quidam	*αὕτη ἡ προσθήκη παρὰ Ῥωμαίοις Νῶναι καλεῖται ἀντὶ ἐννέα.*

idus || Nonarumque diem faciunt infra octo secundi [1]). || Haec sunt Romano tantum tria nomina mensi; || Cetera per numeros sunt cognomenta dierum.

hinc Nonas aestimant dictas, quasi novae initium observationis, vel quod ab eo die semper ad Idus novem dies putantur.

18. Idus omnes Iovi tributas et Varronis et pontificalis adfirmat auctoritas.

p. 47, 10 . . . τὰς δὲ Εἰδοὺς Διὶ ἤγουν Ἡλίῳ ἀνέφερον.

ecl. XIII exponitur, 'quoteni dies mensium singulorum sint'. quam rem Suetonium quoque expedivisse et per se consentaneum est et intellegitur ex Macrob. Sat. I 15, 7 et 12, 34. igitur etiam hic Ausonius Suetonio uti potuit. ecl. XIII, qua 'quo mense quotae nonae vel idus sint' explicatur, iterum Suetonium esse expressum concentu inter eclogam et Macrob. Sat. I 12, 3. 15, 7 intercedente adducimur, ut credamus:

Auson. ecl. XIIII p. 100 P.

At nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux. || Sexta refert Mai Octobris Martisque recursu || Et qui solstitio sua tempora Iulius infert. || Cetera pars mensum quartis est praedita nonis; || Omnes vero idus octava luce recurrunt.

Macrob. Sat. I 12, 3.

. . . quattuor vero, Martius, Maius, Quintilis, October . . . septimanas habent Nonas, ceteri quintanas.

15, 7 omnibus tamen mensibus ex die Nonarum Idus nono die repraesentari placuit.

neque dubitamus, quin reliquae omnes eclogae, quae cum his eclogis artissima argumenti affinitate cohaerent,

[1]) Ausonii verba: 'Nonarumque diem faciunt infra octo secundi' sic intellegas: Nonarum diem efficiunt vel adducunt octo dies infra sequentes (sc. ab Idibus numerati).

XV. XVI. XVII. XVIII[1]). XVIII I Suetonii doctrinam referant, praesertim cum multa cum Servio et Isidoro concinant[2]).

restat, ut pauca verba de illis versibus Quinti Ciceronis addam, qui inter has eclogas nobis sunt numerandi et hunc titulum amplum praebent: 'Quinti Ciceronis hi versus eo pertinent, ut quod signum quo tempore inlustre sit noverimus, quod superius quoque nostris versibus expeditur.' hunc titulum esse genuinum e persona prima, qua poeta in titulo ipso utitur, intellegitur[3]). itaque quaestio oritur, qua de causa Ausonius hos versus inter eclogas suas receperit. hic iterum Fridericus Marx[4]) recte iudicasse mihi videtur, cum suspicetur hos versus per Suetonium, quem Ausonius hic exscribat, esse servatos.

Iam properemus ad eam eclogam, quae omnium Ausonii eclogarum haud scio an videatur disquisitione esse dignissima et argumento et copia sententiarum inscribiturque de feriis Romanis (p. 104 sq. P.). quisquis eam

---

[1]) in hac ecloga lacuna est. ea autem a Vineto et Scaligero, quos editores huius aetatis sunt secuti, falso loco est indicata. nam post versum tertium, non quintum duos (vel plures) versus excidisse et ex re ipsa intellegitur et ex Chalcidio Platonis Timaei interprete elucet, apud quem eandem doctrinam integram invenimus (p. 146 sq. Wrobel): 'si quidem ex aequinoctio verno (sc. sol) usque ad aestivam conversionem spatium caeli quod interiacet nonaginta fere et quattuor semis diebus et noctibus conficit, ex conversione vero aestiva usque ad autumnale aequinoctium nonaginta et duobus semis diebus et noctibus pervenit, ab autumnali porro aequinoctio pergens ad brumalem conversionem octoginta et octo diebus pervenit et octava parte unius dieci. residuum item spatium, quod inter brumalem conversionem et vernum aequinoctium interiacet, nonaginta fere diebus et parte octava diei conficit. proptereaque omnem circuli meatum trecentis sexaginta et quinque diebus ac noctibus et parte quarta diei propemodum obire consensu omnium creditur.'

[2]) cf. ecl. XVI cum Isid. de nat. rer. c. VI 5; ecl. XVIIII cum Serv. ad Georg. I 43.

[3]) cf. W. Brandes l. c. p. 8.

[4]) apud Pauly-Wissowa II p. 2572.

legerit, concedet eclogam nonnullas difficultates habere titulus non nisi in universum congruere videtur cum eis, quae poeta versibus exprimit. primum enim v. 11 et 12, qui sunt de solstitiis et aequinoctiis, ad ferias Romanas non pertinent. porro quod Ausonius iam v. 1 non de feriis, sed de ludis Apollinaribus agit, hoc eo expeditur, quod feriarum et ludorum apud Romanos differentia, quae primitus fuit, apud posterioris aevi scriptores ignorari coepta est. maxime vero miramur ferias in hac ecloga contra exspectationem neque per tempora i. e. per singulos menses, prout anno vertente agebantur, neque per genera esse ordinatas videri. tamen reliquias bonae doctrinae in hac ecloga inesse nos non fugit. neque enim solum poeta hic nomina feriarum Romanarum, quae ei commemoratione dignissimae esse videbantur, enumeravit et docuit, quo tempore, quo loco (v. 1. 25. 33. 34) feriae agerentur, sed etiam nonnumquam originem (v 10. 21. 22) et historiam feriarum (v. 27. 28. 33—36) indicavit. quamquam v. 10 consuetudinem tantum memorat, ex qua apud Romanos ancillae Nonis Caprotinis matronarum partes agebant, tamen suspicio est eum alludere ad illam fabulam, qua Romani originem Nonarum Caprotinarum in tenebris iacentem[1]) explanare conati sunt. fabula[2]), quam Macrobius Sat. I 11, 36 sqq., Plutarchus Rom. 29 et Cam. 33, alii memoriae prodiderunt, est haec: cum Galli Roma abscessissent, Latinos Postumio Livio duce contra urbem Romam esse profectos et per legatos ad senatum missos postulavisse, ut Romani sibi ius conubii concederent simulque virgines et viduas traderent. tum patribus ignorantibus, quid esset faciendum, ancillam nomine Tutelam seu Philotim esse pollicitam se ceterasque ancillas sub

[1]) cf. G. Wissowa, Religion und Kultus der Römer p. 184; idem apud Pauly-Wissowa III p. 1552.

[2]) huius fabulae fontem fuisse fabulam praetextam quandam, cuius Varro de l. l. VI 18 mentionem fecit, G. Wissowa apud Pauly-Wissowa III p. 1552 iure monuit.

nomine dominarum habitu matrum familias et virginum sumpto ad hostes ituras esse iisque se tradituras. atque cum ancillae in castra hostium venissent ibique propter conubium diem festum plurimo vino provocavissent, Tutelam ex arbore caprifico Romanis signum dedisse. tum eos hostes inopinantes et soporatos oppressisse et ex illo tempore Nonas Caprotinas ancillarum ferias celebrari. hanc fabulam Ausonium versu 'cum stola matronis dempta teget famulas' indicare veri est simile. atque simili modo poeta v. 19—22 originem Neptunalium et Consualium docens illam Sabinarum rapinam, quam Consus deus Romulo suasisse dicitur, leviter significat. fabula autem ipsa est tam vulgata et a tot scriptoribus narrata, ut eam repetere nolim. hoc unum praedicamus, in hac fabula Consum deum consiliorum esse intellectum, id quod etiam Ausonius tangit. sed simul poeta in his versibus Consualia etiam cum Neptunalibus coniungit et cultum duplicem dicit, itaque etiam alteram explicationem Consi dei indicat. alii[1]) enim dicebant Consum deum eundem esse atque Neptunum Equestrem, cuius in honorem Consualia celebrarentur. qua de causa optime intellegitur poetam aliis quoque locis Consum pro Neptuno posuisse, ut p. 149, 87 P., ubi poeta Minervae et Consi (i. e. Neptuni) de arce Athenarum certamen tangit, p. 141, 46, ubi Consum germanum Iovis et Plutonis dicit, p. 340, 9, quo versu Consus Saturnia proles vocatur. atque pariter poetae docti est, quod v. 27 sq. huius eclogae dicit Equirria primos ludos in circo esse facta. porro etiam in v. 33 sq. huius eclogae frustulum bonae doctrinae latet. hic enim discimus gladiatores olim in foro proelia funebria decertasse. hoc optime comprobat Valerius Maximus II 4, 7 his verbis: 'gladiatorium munus primum Romae datum est in foro boario Ap. Claudio Q. Fulvio consulibus. dederunt Marcus et Decimus filii Bruti Perae funebri me-

[1]) Liv. I 9, 7, Plutarch. Rom. 14, alii, quos omnes attulit G. Wissowa, Relig. u. Kultus d. R. p. 201 adn. 6.

moria patris cineres honorando'. denique etiam in ultimis versibus Ausonius doctrinam quamvis perversam[1]) praebet dicens munera gladiatorum, quae aetate ipsius in harena amphitheatri fieri solebant, in honorem Saturni celebrari, quam sententiam etiam Lactantius inst. VI 20, 35 protulit. dubium non est, quin uterque scriptor ea re, quod munera gladiatoria quaestorum proximis ad Saturnalia diebus dabantur, in errorem inciderint munera in honorem Saturni fieri, cum re vera Saturnalia et munera gladiatoria nullo vinculo inter se essent coniuncta[2]). sed etiam plures errores, quamvis parvi momenti esse videantur, in hac ecloga inveniuntur. ut poeta in v. 1 ludos Apollinares *per ostia Tiberina* fieri dicit. sed illos ludos in urbe Roma ipsa (circenses in circo, scaenicos in theatro) esse celebratos inter omnes constat. veri est simillimum Ausonium hic ludos Apollinares cum ludis Castorum, qui Ostiis in portu celebrabantur[3]), confudisse. nec minus verba v. 7 *pro laude virorum* habent aliquid offensionis. nam constat matronas kalendis Martiis, quibus Matronalia celebrabantur, non pro laude virorum, sed pro salute matrimonii sacra fecisse. deinde miramur, quod v. 21 dicit Neptunalia esse celebrata navigiis. nam quamvis Neptunus deus maris sit, quem, qui navi vehuntur implorant, ut se tutetur a tempestatibus, nullo alio loco traditur diem festum dei navigiis esse celebratum. vereor, ne Ausonius hic Neptuni cultum cum cultu Isidis confuderit, cuius in honorem vere ineunte navis 'muneribus largis et devotionibus faustis completa'[4]) in pelagum mitti solebat[5]). denique dubium videtur esse, quid v. 22 valeat: 'iungunt Romanos finitimosque duces'. haud scio an Ausonins his

---

[1]) cf. G. Wissowa, Religion u. Kultus d. Römer p. 467 adn. 2.

[2]) cf. G. Wissowa l. c. et apud Roscher, Ausführl. Lexikon d. griech. u. röm. Myth. s. v. Saturnus IV p. 438 sq.

[3]) cf. G. Wissowa l. c. p. 271.

[4]) cf. Apuleius met. XI 16.

[5]) cf. G. Wissowa l. c. p. 354.

verbis illam intercessionem ipsam mulierum Sabinarum raptarum indicare voluerit, quae, cum Romani contra Sabinos infestissimis animis pugnarent, tum multitudinem tum duces[1]) reconciliavisse dicuntur. sed hi errores ipsi suspicionem nobis confirmant poetam hanc scientiam non ex usu vitae vel ex fastis temporis sui, sed ex libro doctrinae bonae pleno non sine aliqua socordia hausisse. quae suspicio comprobatur, si eclogam cum aliis feriarum tabulis, quae supersunt, conferimus. bene nobis accidit, quod ex hoc tempore ipso, quo vixit Ausonius, fasti nobis sunt servati, dico Furii Dionysii Philocali, quos anno p. Chr. n. 354 esse scriptos Theodorus Mommsen[2]) docuit. atque cum Philocali fastos recensemus et cum ecloga conferimus, apparet, quamquam in fastis Philocali non solum omnes fere feriae, quae Ausonii temporibus insinuante sese magis magisque religione Christiana celebrabantur, afferuntur, sed etiam non paucae feriae antiquae, quae non iam celebrabantur, ex tabulis publicis tantummodo memoriae causa proferuntur, poetam magnam quidem partem feriarum in fastis enumeratarum commemorare, sed tamen etiam satis multas ferias solum proferre. in fastis redeunt hae duodeviginti feriae, quae in ecloga afferuntur: Compitalia[3]), Natalis Herculis, Regifugium, Isidis navigium, Mamuralia (quae easdem ferias

---

[1]) cf. Liv. I 13, 4.

[2]) C. I. L. I² p. 254.

[3]) non est, cur miremur Compitalia apud Philocalum ad Ian. 3. 4. 5 affixa esse videri. quam rem optime explicat Theodorus Mommsen C. I. L. I² p. 305: ‘aetate Constantiniana ad dies Ian. 3. 4. 5 Compitalia affixa esse Philocali Silviique fasti ostendunt. quod si ea nihilo minus Ausonius (de fer. 17) et Macrobius (I 16, 6) referunt inter ferias conceptivas, aut hoc dicemus magis eos legisse antiquos auctores quam suae aetatis fastos; aut eo nixi, quod Macrobius adicit ferias conceptivas quotannis concipi in dies vel certos vel etiam incertos, Compitalia vel ea aetate iure conceptiva fuisse (cf. Gell. 10, 24. Macrob. I 4, 27) sed cum in eundem semper diem concipi solerent, facta esse quodammodo stata’.

esse atque Equirria veri est simile[1])), Liberalia, Quinquatria, ludi Megalesiaci, ludi Florales, Natalis Mercurii, solstitium, ludi Apollinares, Neptunalia, Natalis Dianae, Vulcanalia, bruma, Saturnalia, munera. sed desiderantur hae septem feriae ab Ausonio explicatae: Matronalia, Nonae Caprotinae, aequinoctium vernale, aequinoctium autumnale, Opalia, Consualia, Sigillaria. quamvis primo obtutu Ausonius tibi videatur imprimis fastos suae aetatis esse secutus, cum duodeviginti ferias, quae apud Philocalum reperiuntur, enumeret, tamen simul tecum consideres est necesse has duodeviginti ferias parvam tantum partem omnium feriarum a Philocalo commemoratarum facere. qua de causa magis miramur, quod in fastis Philocali, quos non solum omnes ferias, quae tum agebantur, sed etiam plures reddere veri est simillimum, illae septem vel potius quinque feriae (nam aequinoctia esse excipienda videntur, quippe quae, quamvis in fastis Philocali non inveniantur, in aliis fastis Romanis, ut in illis duobus menologiis, quae dicuntur rustica, sint allata) desiderantur. harum igitur quinque feriarum historiam Ausonius cognoscere non potuit ex fastis vel ex usu vitae. accedunt autem eae feriae, quas in fastis Philocali ex tabulis publicis tantummodo memoriae causa esse prolatas veri est simile. sane difficile est dicere, quae feriae ex illis duodeviginti feriis non iam sint actae. sed Regifugium et Equirria iam exolevisse pro certo habemus. quibus addas eas ferias, quas in urbe Roma sola esse celebratas constat, ut ludos Apollinares et Megalenses. etiam harum feriarum historiam ex usu vitae noscere non potuit. reliquae igitur feriae, in quibus afferendis Ausonius etiam fastis temporis sui uti potuit, sunt hae fere: Compitalia, Natalis Herculis, Isidis navigium, Liberalia, Quinquatrus, ludi Florales, Natalis Mercurii[2]), Neptunalia, Natalis Dianae[2]), Vulcanalia, Satur-

[1]) cf. G. Wissowa l. c. p. 448 adn. 2.

[2]) veri est simile poetam maxime Martialis versibus (XII 67, 1 sq.)

nalia. tum vero animadvertimus Ausonium omnino ferias antiquiores solas protulisse. ne unum quidem ex natalibus Caesarum Divorum, quos multos ostendunt fasti Philocali, apud Ausonium invenimus. itemque apud poetam reliquos omnes dies festos recentiores, qui Caesarianis temporibus instituti sunt, desideramus. nec minus apparet Ausonium antiquiores solas ferias respexisse neque usu vitae solo esse ductum, si eclogam cum duabus aliis feriarum tabulis, quae nobis sunt servatae, conferimus, cum menologiis rusticis, quae primo p. Chr. n. saeculo esse compertum habemus[1]), et cum illo capite de diebus festis, quod inter hermeneumata Pseudodositheana in variis apographis legitur[2]). videas has tabulas:

Menologia rustica	Ausonius	Hermeneumata
Sacrificant dis penatibus	Compitalia	—
—	Natalis Herculeus	—
Parentalia	—	Parentalia
Lupercalia	—	Lupercalia
Cara Cognatio	—	Cara Cognatio
Terminalia	—	Terminalia
—	Regifugium	—
sacrum Mamurio	Equirria	—
—	Matronalia	—
Isidis navigium	sacrum ratis Isiacae	—
Liberalia	ludi Dionysiaci	Liberalia

'Maia Mercurium creastis Idus; Augustis redit Idibus Dianae' esse commotum, ut has idus ipsas afferret, praesertim cum constet Ausonium multis aliis quoque locis ex Martiale verba sententiasque esse mutuatum. earundem iduum mentionem fecit Ausonius etiam in genethliaco ad nepotem suum v. 23 et 24 (p. 259 P.). haud scio an hi quoque versus Ausonio, cum hanc eclogam scriberet, sint obversati.

1) cf. G. Wissowa, Röm. Bauernkalender, Apophoreton Graec. Hal. 1903 p. 51.

2) Corp. gloss. lat. III 10 (Herm. Leidens.). 83 sq. (Amplon.). 171 sq. (Monac.). 239 (Einsidl.). 294 sq. (Montepessul.). 371 (Hermen. Stephani).

Quinquatria	Quinquatrus	Quinquatria
Lavatio	—	Lavatio
—	—	Veneralia
—	operta matris Megalesiacae	—
—	—	Cerealia
Oves lustrantur	—	Parilia
sacrum Phariae	—	—
Sarapia	—	Serapia
segetes lustrantur (= lustratio pagi)	—	—
sacrum Mercurio et Florae	idus Mai, quas Mercurius sibi dicat	—
	Floralia	ludi Florales
sacrum Herculi	—	—
—	—	Vestalia
Fortis Fortunae	—	—
Apollinaria	ludi Apollinei	Apollinaria
—	Nonae Caprotinae	—
Neptunalia	Neptunalia	Neptunalia
Sacrum Spei, Saluti, Deanae	idus Augusti, quas Diana sibi dicat	—
—	cultus Consi	—
Volcanalia	Vulcani dies	Volcanalia
—	sacrum Opis	—
Epulum Minervae	—	—
sacrum Libero	—	—
Iovis epulum	—	—
Heuresis	—	Isia
—	—	Septimontium
Saturnalia	Saturnalia	Saturnalia
—	sacra Sigillorum	—
—	munera gladiatorum	—

tribus scriptoribus communes sunt hae feriae septem: Liberalia, Quinquatria, Floralia, Apollinaria, Neptunalia,

Volcanalia, Saturnalia. Ausonius et menologia rustica ostendunt has ferias duodecim: Compitalia, Natalem Herculis, Isia, Liberalia, Quinquatria, Floralia, Natalem Mercurii, Apollinaria, Neptunalia, Natalem Dianae, Volcanalia, Saturnalia. de quibus quattuor (Compitalia, Natalis Herculis, Natalis Mercurii, Natalis Dianae) in hermeneumatis non inveniuntur. Ausonius unus habet has ferias: Regifugium, Matronalia, ludos Megalenses, Nonas Caprotinas, Consualia, Opalia, Sigillaria, munera gladiatorum. hae autem sunt Regifugio, ludis Megalensibus, muneribus gladiatorum exceptis eaedem quinque feriae antiquae, quas etiam apud Philocalum desideravimus. ita ex hac quoque comparatione apparet Ausonium in hac ecloga componenda esse ductum non tam fastis Romanis quam ab auctore quodam doctissimo et satis antiquo aut qui praecipue ferias antiquas tractaret.

iam pridem Fridericus Marx[1]) hoc carmen attingens obiter quasi in transcursu interrogavit, nonne Suetonii ludicra historia fons huius eclogae fuerit. neque falsam coniecturam ille vir doctissimus protulisse mihi videtur. Suetonii ludicrae historiae titulum latinum Gellius IX 7, 3 memoriae prodidit. Suidas sub nomine Suetonii *περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωριῶν καὶ ἀγώνων β'* enumerat; hos duos libros de Romanorum ludis et certaminibus partem alteram ludicrae historiae fuisse veri est simile, cum in priore parte operis Suetonium de Graecorum ludis et certaminibus egisse sit probabile. fragmentum enim, quod Gellius l. c. e primo libro ludicrae historiae citavit, est de fidibus i. e. de Graecis rebus. sed expressiorem imaginem ludicrae historiae finxit Augustus Reifferscheid[2]), cum eam

---

[1]) apud Pauly-Wissowa II p. 2572.

[2]) l. c. p. 332—345. 461—465. Noeldechenium (Philol. Suppl. VI p. 729 sqq.) et Werberum (Programm des Staatsgymnasiums in Teschen 1896 p. 1 sqq.) nihil contra Reifferscheidium profecisse ostendit H. F. Soveri, De ludorum memoria praecipue Tertullianea capita selecta, Helsingforsiae 1912 p. 158 sq.

maxima ex parte e Tertulliani libro de spectaculis restitueret. nam constat illum patrem ecclesiae in libro, quo exposuit spectacula ethnicorum, quippe quae cum idololatria artissime cohaererent, Christianis esse vitanda, Suetonii librum, ut ipse indicat (c. 5), adhibuisse. ita Tertullianus, quamquam e libro Suetoniano tantummodo summam rerum excerpsit, non parvas reliquias nobis servavit. atque cum nunc versus Ausonianos cum his reliquiis libri Suetoniani comparamus, mirum est, quod nonnullae feriae in ecloga enumeratae ibi redeunt eodemque fere modo explicantur. placet hic complures locos componere:

Auson. v. 1 sq.	Tertullian. de spectaculis c. 6 (p. 8 R.-W.)
nunc et Apollineos Tiberina per ostia ludos et Megalesiacae matris operta loquar	. . . Megalenses enim et Apollinares, item Cereales et Neptunales et Latiares et Florales in commune celebrantur . . .
v. 19—22.	c. 5 (p. 7 R.-W.)
aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt et quem de Conso consiliisque vocant? festa haec navigiis aut quae celebrata quadrigis iungunt Romanos finitimosque duces. v. 27 sq. nunc etiam veteres celebrantur Equirria ludi: prima haec Romanus nomina circus habet.	. . . exinde ludi Consualia dicti, qui initio Neptunum honorabant. eundem enim et Consum vocant. dehinc Ecurria ab equis Marti Romulus dixit; quamquam et Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicaverit deo, ut volunt, consilii, eius scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit.

v. 25 sq.

nec non *lascivi* Floralia laeta theatri,
quae spectare volunt, qui voluisse negant

c. 10 (p. 12 R.-W.).

a loci vitio theatrum proprie sacrarium Veneris est. hoc denique modo id genus operis in saeculo evasit. nam saepe censores nascentia cum maxime theatra destruebant moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de *lascivia* providebant . . .

v. 29 sq.

et Dionysiacos Latio cognomine ludos
Roma colit, Liber quae sibi vota dicat.

c. 10 (p. 12 R.-W.).

nam et alios ludos scaenicos Liberalia proprie vocabant, praeterquam Libero devotos, quae sunt Dionysia penes Graecos, etiam a Libero institutos. c. 5 (p. 7): nam et cum promiscue ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant. Libero enim a rusticis primo fiebant ob beneficium quod ei adscribunt demonstrati gratia vini.

non est, cur miremur, quod Ausonius et Tertullianus in his feriis vel ludis afferendis non nisi in universum concinunt. nam cum Tertulliani interesset demonstrare, quam arte ludi cum religione ethnicorum essent coniuncti, Ausonio in animo fuit in ecloga catalogum feriarum Romanarum componere. ad locos autem concinentes accedit, quod, ut in ludicra historia de gladiatorum muneribus est dictum, id quod ex fr. 194 (p. 343, 4 Reifferscheid=Tertullian. de spectaculis c. 12) intellegitur, ita de eisdem do-

cemur ab Ausonio v. 33—36. quin etam partes singulas, in quas Suetonium ludicram historiam divisisse Tertullianus indicat, cum primum de ludis (circensibus et scaenicis), deinde de agonibus, postremo de gladiatorum muneribus agit, apud Ausonium invenimus considerantes etiam poetam primum de agonibus in illis quattuor eclogis, quae hoc carmen praecedunt (p. 103 sq. P.), deinde de ludis eisque circensibus et scaenicis vel potius de feriis, quibus ludi edebantur, postremo de muneribus gladiatorum facere verba. illae quattuor eclogae ipsae quoque quin e Suetonii ludicra historia fluxerint dubium nobis non est. sane prima, quippe quae distichis sit composita, haud scio an sit excipienda. neque enim quisquam negabit hac Ausonium carmen Anth. Pal. IX 357 latine reddidisse et consulto metrum Graecum esse imitatum; neque diiudicari potest, utrum Ausonius hanc eclogam tum demum transtulerit, postquam reliquas tres scripsit, an iam antea; equidem illud verisimilius esse puto.[1]) tamen certe reliquis tribus eclogis, quae summa et argumenti et formae affinitate continentur, poetam Burdigalensem Suetonii ludicram historiam eiusque partem priorem expressisse non solum titulus Graecus alterius partis ludicrae historiae *(περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωριῶν καὶ ἀγώνων)*, quam pars prior *περὶ τῶν πάρ᾽ Ἕλλησι θεωριῶν καὶ ἀγώνων* antegressa esse nobis iam supra est visa, suadet, ut credamus, sed etiam optime demonstrat Tertullianus l. c. c. 11 ineunte, ubi Suetonium de iisdem agonibus Graecis, quos Ausonius versibus suis enumerat, disseruisse comperimus. uterque (Ausonius et Tertullianus) et eadem nomina agonum et easdem sententias profert. agones et sacros et funebres esse atque et deis et mortuis esse institutos apud utrumque legimus. ne quid praeteream, Ausonius, quod deinceps et de locis et de auctoribus agonum dicit, in hac quoque re ab accurata dispositione, quam esse secutum Suetonium e Tertulliani

[1]) haud scio an Suetonius illud epigramma in historia ludicra attulerit.

c. 4 elucet[1]), pendere mihi videtur. hunc concentum, quem inter reliquias ludicrae historiae et has eclogas Ausonianas deteximus, mero casu evenisse vix quisquam erit qui putet. dubium non est, quin Ausonius hic ex eodem libro Suetonii atque ille pater ecclesiae hauserit, scilicet e ludicra historia.

tamen timeo, ne non omnes difficultates, quas ecloga de feriis Romanis offert, hac sententia accepta tollantur. num sumamus in ludicra historia, ubi Suetonius non tam de feriis quam de ludis egit, harum omnium feriarum mentionem esse factam? quid? nonne nobis est colligendum Suetonium in libro illo de eis tantum feriis, quibus ludi edebantur, disseruisse? qua igitur re Ausonius est commotus, et e. g. Matronalia in ecloga enumeraret? eum non fastis temporis sui vel usu vitae esse impulsum, ut Matronalium mentionem faceret, inde apparet, quod nescio quo errore ductus dicit matronas Kalendis Martiis pro laude virorum sacra fecisse. hic una explicandi ratio relicta videtur esse. facile tibi persuadeas Ausonium praecipue alterum librum Suetonii ad hanc eclogam componendam adhibuisse vel respexisse, librum de anno Romanorum, quo Ausonium etiam in aliis eclogis esse usum supra docuimus. in hoc libro etiam de feriis Romanorum erat actum, si quidem Augustus Reifferscheid recte dicit (l. c. p. 435): 'sed etiam his adhibitis supplementis unam tantum partem Suetoniani libri (scilicet de anno Romanorum) reconcinnare licet, alterius, qua ex instituto libri de feriis Romanorum disputandum erat disputatumque fuit, nulla fere particula residua est.' Augustum Reifferscheid secutus G. Wissowa l. c. p. 30 praeter alia Macrobii Saturn. I 10, 1—24 et I 11, 46—50, ubi Saturnaliorum et Sigillariorum historia exhibetur, libro annum Romanorum enarranti probabiliter vindicavit. atque cum sumamus Ausonium hunc librum de anno Romanorum in hac ecloga respexisse, optime Ausonii verba illustrantur, qui inter-

[1]) cf. A. Reifferscheid l. c. p. 463 exeunte.

rogat: 'visne Opis ante sacrum vel Saturnalia dicam festaque servorum, cum famulantur eri?' nam legerat Ausonius eadem fere verba in Suetonii libro de anno Romanorum, quae nunc in Macrob. Sat. I 10, 18 scripta videmus: 'qui dies nunc Opalibus inter Saturnalia deputatur, cum primum Saturno pariter et Opi fuerit ascriptus'. itemque explicatur, quod Ausonius sacra Sigillorum dicit. apud Suetonium invenerat verba, quae nobis per Macrob. Sat. I 11, 47 sunt servata: 'inde usum talia simulacra fingendi inter sacra mansisse'. ne vero miremur poetam praeter Suetonii de anno Romanorum librum eiusdem auctoris ludicram historiam in hac ecloga componenda adhibuisse, meminerimus eum in illis versibus de XII Caesaribus scriptis non solum Suetonium, sed etiam Tacitum esse secutum.

Quibus rebus cognitis, cum pro explorato habeamus Ausonium in eclogis 9—26 et Suetonii librum de anno Romanorum et eiusdem auctoris ludicram historiam expressisse, iam nobis est quaerendum, num praeterea in ceteris Ausonii poematiis lectionis horum librorum vestigia inveniamus. neque haec spes nos fallere videtur. cum in epistula XX (p. 257 P.) ad filium scripta poeta illum diem, quo a filio suo erat desertus, his verbis describit:

quis fuit ille dies? non annis longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis,

nonne veri est simillimum Ausonium cognitionem anni Metonis e Suetonio, quem in libro annum Romanorum enarrante de annis magnis egisse scimus, habuisse? itemque vestigia lectionis ludicrae historiae inveniuntur. sic Ausonius in epistula ad Ursulum grammaticum Trevirorum (p. 244 P.), cum numerum duodenarium per lusum et iocum explicat, versibus 11 et 12:

ostia quot pro parte aperit stridentia circus
excepto, medium quod patet ad stadium

cognitionem circi maximi [1]), quem Cassiodorius Var. III 51

[1]) ego quidem pro certo habeo Ausonium hic sub verbo *circus* illum circum maximum κατ᾽ ἐξοχήν intellexisse.

ex Suetonio[1]) pendens pluribus verbis descripsit, prae se fert. sane dixerit quispiam Ausonium fortasse circum oculis suis vidisse indeque nosse. sed hoc est veri dissimile, cum Ausonius in nullo carmine indicet se aliquando in urbe Roma fuisse. itaque facile ad credendum est Ausonium hic quoque doctrinam Suetonianam praebere, praesertim cum poeta pro duodecim portis circi eodem vocabulo *ostia* atque Cassiodorius l. c. utatur. sed etiam expressiora vestigia ludicrae historiae in Ludo septem sapientum invenisse mihi videor. in hoc Ludo Prologus, quem Ausonius loquentem inducit, historiam theatri Romani adumbrat his trimetris iambicis (p. 170 P.):

aedilis olim scaenam tabulatam dabat
subito excitatam nulla mole saxea.
Murena sic et Gallius: nota eloquar.
postquam potentes nec verentes sumptuum
nomen perenne crediderunt, si semel
constructa moles saxeo fundamine
in omne tempus conderet ludis locum:
cuneata crevit haec theatri inmanitas.
Pompeius hanc et Balbus et Caesar dedit
Octavianus concertantes sumptibus.

non puto Ausonium hic suam ipsius eruditionem proferre. quantum ego coniectura augurari possum, poeta hic quoque ludicram historiam, in qua historiam theatri enarratam fuisse veri est simillimum, compilavit. hoc eo magis credimus, quod Suetonius etiam in vitae Divi Augusti c. 29 Octaviani et Cornelii Balbi in theatrum merita commemoravit.

In fine adnotaverim in dubio esse an Ausonius etiam illum Suetonii librum, quem Suidas sub titulo Graeco *περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων* enumeravit, legerit. nam Ausonium Zenodotum et Aristarchum eorumque merita, quorum Suetonium in illo libro mentionem fecisse consentaneum est, pernovisse tribus locis apparet. primo loco prof. Burd

1) cf. A. Reifferscheid l. c. p. 336 sq. 464.

XIII 3 (p. 62 P.) de Citario grammatico Burdigalensi hoc praedicat:

Esset Aristarchi tibi gloria Zenodotique
Graiorum, antiquos si sequeretur honos.

altero loco lud. sept. sap. v. 11 sqq. (p. 169 P.) poeta Drepanium orat, ut versus suos examinet, his versibus:

Maeonio qualem cultum quaesivit Homero
censor Aristarchus normaque Zenodoti!
pone obelos igitur primorum stemmata[1]) vatum
palmas, non culpas esse putabo meas
et correcta magis quam condemnata vocabo,
adponet docti quae mihi lima viri.

denique etiam tertio loco illos duos grammaticos affert, quamvis non nominet, ep. XIII v. 27 sqq. (p. 244 P.):

Harmonio, quem Claranus, quem Scaurus et Asper,
quem sibi conferret Varro priorque Crates
quique sacrilacerum collegit corpus Homeri
quique notas spuriis versibus adposuit.

sed concedendum est Ausonium illos duos grammaticos etiam aliunde ut ex Varronis Hebdomadibus, quas poetam possedisse scimus, notos habere potuisse.

---

[1]) vocabulum *stemmata* a codicibus praebitum non esse mutandum, cum stemma idem valeat atque asteriscus, demonstravit H. Zimmer, Hermae vol. XXIX 1894 p. 317 sq.

Auctor de vita sua.

Natus sum Carolus Rudolfus Reeh in oppido Saxoborussico, quod vocatur Bad Kösen situmque est ad flumen Salam, die XXVI mensis Mai anni p. Chr. n. 1891 patre Erhardo, matre Paulina e gente Brecher. fidei addictus sum Christianorum, confessioni evangelicae. primis litterarum elementis in oppido patrio imbutus vere anni 1904 in scholam Portensem propinquam receptus sum, quae tum Christiano Muff rectore florebat. per sex annos eam rite absolvi. neque omittam hoc quoque loco gratias quam maximas agere cum omnibus meis praeceptoribus almae matris Portensis tum Georgio Siefert et Eduardo Lisco, viris et doctissimis et humanissimis, qui tutores mei fuerunt et opera consilioque semper me adiuverunt. maturitatis testimonio instructus vere a. 1910 civis adscriptus sum universitati Ienensi, ubi sex menses commoratus studiis philologicis et historicis operam dedi. eiusdem anni autumno Halas Saxonum me contuli, ut studia mea continuarem. autumno anni 1912 Gottingam migravi, unde vere anni 1913 ad hanc almam litterarum sedem redii. docuerunt me et scholis et exercitationibus hi viri doctissimi Ienenses: Delbrueck, Diehl, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Judeich; Gottingenses: Koerte, Leo †, Viertel †; Halenses: Bechtel, Heldmann, Kern, Krueger, Leuze, Lindner, Menzer, Muff †, Nebert, Praechter, Robert, Stammler, de Stern, Wissowa. his omnibus praeceptoribus gratias ago maximas, inprimis vero gratiam summam semper habebo Georgio Wissowa, benevolentissimo studiorum meorum fautori, quo auctore et adiutore hanc dissertationem composui. sed cum aestate anni 1914 patria et Austria foedere sociata undique improviso et subdole ab hostibus peterentur, quorum alii finium proferendorum

cupiditate incitabantur, alii ultionis cupidine, alii invidia commercii crescentis patriae nostrae, neque quicquam aliud ageretur nisi utrum Germania maneret necne, ego quoque ad arma contendi et expeditioni in Polonia per tres et dimidium menses interfui, dum idibus Iuniis anni 1915, cum vicum ab Russis praemunitum, cui nomen erat Biale Bloto, oppugnaremus, telo, quod in primore manus sinistrae parte crepuit, foedissime vulneratus sum. manu medici arte servata stipendia facere non iam potui et vere huius anni Halas Saxonum redii, ut dissertationem publicarem et studia mea ad finem perducerem.

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 09 11 13 021 8